

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1565

Ad Brvtvm, Et Alios.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

197
CICERONIS EPISTOLARVM

AD BRVTVM, ET ALIOS,
LIBER XI.

ARGVMENTVM.

D. Brutus M. Bruto, & C. Cassio, quibuscum Caesarem occiderat, sermonem cum Hirtio habitum exponit, postulatamq. a se liberam legationem significat.

D. Brutus . s. D. M. Bruto, & C. Cassio .

VO in statu sumus, cognoscite. Heri ue-

Q sperari apud me Hirtiū fuit: qua mente esset Antonius, demonstravit, pessima scilicet, & infidelissima. nam se neque mihi provinciam dare posse aiebat, neque arbitrari tuto in urbe esse quemquam nostrum: adeo esse militum concitatos animos, & plebis. quod utrumque esse falsum, puto uos animaduertere; atque illud esse uerum, quod Hirtius demonstrabat, timere eum, ne, si mediocre auxilium dignitatis nostrae habuissemus, nullae partes ijs in rep. relinquerentur. cum in his angustijs uersarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisq. nostris; ut aliqua caussa proficiscendi honesta quaereretur. hoc se impetraturum pollicitus est: nec tamen impetraturum confido: tanta est hominum insolentia, & nostri infestatio. ac, si dederint, quod petimus; tamen paulo post futurum puto, ut hostes iudicemur, aut aqua, & igni nobis interdicatur. Quid ergo est. inquis,

consul cū Pansa designatus in annū sequentem .

quod mox habuerunt, administratione provinciarum a senatu data .

inquis, tui consilij? Dandus est locus fortunae: cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquo terrarum arbitror. si melior casus fuerit, reuertemur Romam; si mediocris, in exsilio uiuemus; si pessimus, ad nouissima auxilia descendemus. Succurret fortasse hoc loco alicui uestrum, cur nouissimum tempus exspectemus potius, quam nunc aliquid moliamur. Quia, ubi consistamus, non habemus, praeter Sex. Pompeium, & Bassum Caecilium: qui mihi uidentur, hoc nuncio de Caesare allato, firmiores futuri. satis in tempore ad eos accedemus, ubi, quid ualeat, scierimus. Pro Cassio, & te si quid uelitis me recipere, recipiam. postulat enim hoc Hirtius ut faciam. Rogo uos, quamprimum mihi rescribatis. nam non dubito, quin de his rebus ante horam quartam Hirtius me certiores sit facturus. quem in locum conuenire possimus, quo me uelitis uenire, rescribite. Post nouissimum Hirtij sermonem, placitum est mihi postulare, ut liceret nobis esse Romae publico praesidio: quod illos nobis concessuros non puto. magnam enim inuidiam ijs faceremus. nihil tamen non postulandum putavi, quod aequum esse statuerem. Valete.

A R G. Petunt ab Antonio, an putet ipsos in urbe, magna ueteranorum militum frequentia, tutos fore.

M. Brutus, & C. Cassius praet. s. D.

M. Antonio cos.

DE tua fide, & beneuolentia in nos nisi persuasum

descendere ad
extrema, ep.
33. lib. 10.

Pompeium in
Hispania, Caecilium
in Syria.

ep. 4. lib. 8.

uide inuidiam
pro odio. indignarentur,
inquit, boni, uin
dices libertatis
egere praesidio

beneuolentia,
ut uelit; fides,
ut seruet.

suasum esset nobis, non conscripsissemus haec tibi: quae profecto, quando istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis, magnam ueteranorum multitudinem Romam conuenisse iam, ad Kal. Ian. futuram multo maiorem. de te si dubitemus, aut uereamur; simus nostri dissimiles. sed certe, cum ipsi in tua potestate fuerimus, tuoq. adducti consilio dimiserimus ex municipijs nostros necessarios; neque solum edicto, sed etiam litteris id fecerimus; digni sumus, quos habeas tui consilij participes, in ea praesertim re, quae ad nos pertinet. quare petimus a te, facias nos certiores tuae uoluntatis in nos; putes ne nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum: quos etiam de reponenda ara cogitare audimus: quod uelle te, probare uix ququam posse uidetur, qui nos saluos, & honestos uelit. nos ab initio spectasse otium, nec ququam aliud libertate communi quaesisse, exitus declarat. fallere nemo nos potest, nisi tu: quod certe abest a uirtute tua, & fide. sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim uni credidimus, & credituri sumus. maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri. quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem uenit, multitudinem ueteranorum facilius impelli ab alio quolibet, quam a te retineri posse. Rescribas nobis ad omnia, rogamus. Nam illud ualde leue est, ac nugatorium, ea re denunciatum esse

minime a nobis alienum.

Phil. 1. Iunius mensis Dolabella fuit. erat enim consul Antonius.

erecta a Mario, euersa a Dolabella; unde illa Ciceronis gratulatio ep. 14 l. 9. & App. l. 3. de bel. ci. sic locutus Hor. ep. 1. l. 20.

ut in urbe frequentes adessent.

veteranis,

ueteranis, quod de commodis eorum mense Iunio
laturus esses. quem enim impedimento futurum
putas, cum de nobis certum sit nos quieturos?

ut fortasse tibi
uidemur, quia
consulimus te
de salute no-
stra.
Non debemus cuiquam uideri nimium uitae cu-
pidi, cum accidere nobis nihil possit sine pernicie,
& confusione omnium rerum. Vale.

ARG. Expostulatio ad contumeliosas & minaces Antonii
litteras.

Brutus, & Cassius praet. s. D.

Antonio eos.

LITTERAS tuas legimus, simillimas edi-
cti tui, contumeliosas, minaces, minime dignas,
quae a te nobis mitterentur. nos, Antoni, te
nulla laceessimus iniuria: neque miraturum cre-
didimus, si praetiores, & ea dignitate homines,
aliquid edicto postulassemus a consule. quod si in-
dignaris ausos esse id facere: concede nobis, ut
doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto, & Cassio
tribui. Nam de delectibus habitis, & pecunijs
imperatis, exercitibus sollicitatis, & nuncijs
trans mare missis, quod te questum esse negas: nos
quidem tibi credimus, optimo animo te fecisse:
sed tamen neque agnoscimus quidquam eorum:
& te miramur, cum haec reticueris, non po-
tuisse continere iracundiam tuam, quin nobis
de morte Caesaris obijceres. Illud uero quem-
admodum ferendum sit, tute cogita; non licere
praetoribus, concordiae, ac libertatis causa, per
edictum de suo iure decedere, quin consul arma mi-
netur

praetores erant
Brutus & Cas-
sius, cum Caesa-
rem occiderunt.

id est cum de his
questus non sis.

Phil. 1.
urbe exire.

netur, quorum fiducia, nihil est, quod nos terreas. neque enim decet, aut conuenit nobis, periculo ulli submittere animum nostrum: neque est Antonio postulandum, ut ijs imperet, quorum opera liber est. nos si alia hortarentur, ut bellum ciuile suscitare uellemus; litterae tuae nihil proficerent. **N V L L A** enim minantis auctoritas apud liberos est. sed pulchre intelligis, non posse nos quòquam impelli: & fortassis ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum metus uideatur. nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus etiam in libera rep. magnum, atque honestum esse; uocemus te ad nullas inimicitias; sed tamen pluris nostram libertatem, quam tuam amicitiam, aestimemus. tu etiam atque etiam uide, quid suscipias, quid sustinere possis: neque quam diu uixerit Caesar, sed quam non diu regnabit, fac cogites. Deos quaesumus, consilia tua reip. salutaria sint, ac tibi: si minus, ut salua atque honesta rep. tibi quam minimū noceant, optamus. **Pri die non. Sext.**

ARG. Res a se gestas exponit; pro quibus rogat Cicero nem, ut sibi sua sententia supplicationes decernat.

D. Brutus imp. cos. des. s. D.

Ciceroni.

4

S I D E tua in me uoluntate dubitarem, multis a te uerbis peterem, ut dignitatem meam tuerere: sed profecto est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curae. Progressus sum ad in alpinos cum exerci-

qui tyrannum occidimus patriae liberandae causa.

ad ullam nouitatem. otium. 11. ab initio spectauimus. supra ep. 2. honestum, pro honoratum. sic l. 2. ep. 15. Caesarem honestum esse cupio.

regnauit per quinque menses post deuictos in Hispania Pompeij liberos. Velleius lib. 2.

exercitu, non tam nomen captans imperatoriu,
quam cupiens militibus satisfacere, firmosq. eos
ad tuendas nostras res efficere: quod mihi ui-
deor consecutus. nam & liberalitatem nostram,
& animum sunt experti. cum omnium bellico-
sissimis bellum gessi: multa castella cepi, mul-
ta uastavi: non sine caussa ad senatum litteras
misi. adiua nos tua sententia. quod cum fa-
cies, ex magna parte communi commodo inser-
uieris. Vale.

A R G. Excusat se, quod Bruti litteris non responderit:
hortatur ad libertatem recuperandam: sua studia, officiaq.
pollicetur.

Cicero s. d. D. Bruto imp.

L V P V S, familiaris noster, cum a te uenisset,
cumq. Romae quosdam dies commoraretur;
ego eram in ijs locis, in quibus maxime me tuto
esse arbitrabar. eo factum est, ut ad te Lupus si-
ne meis litteris rediret, cum tamen curasset tuas
ad me perferendas. Romam autem ueni ad v. id.
Dec. nec habui quidquam antiquius, quam ut
Pansam statim conuenirem: ex quo ea de te co-
gnoui, quae maxime optabam. Quare hortatio-
ne tu quidem non eges, si ne illa quidem in re,
quae a te gesta est post hominum memoriam maxi-
ma, hortatorem desiderasti: illud tamen breuiter
significandum uidetur, populum R. omnia a te ex-
spectare, atque in te aliquando recuperandae liber-
tatis omnem spem ponere. Tu, si dies, noctesq.
memineris, quod te facere certo scio, quantam
rem

ex quibus triu-
phasset; ut in
Philipp.

Rutiliorum co-
gnomen.

consulem defi-
gnatum.

in Caesare occi-
dendo.

rem gesseris: non obliuiscere profecto, quantae tibi etiam nunc gerendae sint. si enim istæ prouinciam nactus erit; cui quidem ego semper amicus fui ante, quam illum intellexi non modo aperte, sed etiam libenter cum rep. bellum gerere: spem reliquam nullam uideo salutis. Quamobrem te obsecro iisdem precibus, quibus senatus populusq. R. ut in perpetuum remp. dominatu regio libères: ut principijs consentiant exitus. tuum est hoc munus, tuae partes: a te hoc ciuitas, uel omnes potius gentes non exspectant solum, sed etiam postulant. Quamquam, cum hortatione non egeas, ut supra scripsi, non utar ea pluribus uerbis: faciam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quae ad tuam laudem, & gloriam pertinebunt. quamobrem uelim tibi ita persuadeas, me tum reip. causa, quae mihi uita mea carior est, tum quod tibi ipsi faueam, tuamq. dignitatem amplificari uelim, tuis optimis consilijs, amplitudini, gloriae nullo loco defuturum. Vale.

Antonius, qui Bruto prouinciam conabatur eripere.

Antonio tuae prouinciae finibus excludendo. in quo sita uidetur salus reip.

quae spectare scio ad communem libertatem.

ARG. Suam dignitatem Brutus commendauerat. respondet Cicero, sibi eam etiam atque etiam curae fore; idq. iam in senatu declaratum.

Cicero s. D. Bruto imp. 6

L V P V S noster cum Romam sexto die Mutina uenisset, postridie me mane conuenit, tuaq. mihi mandata diligentissime exposuit, & litteras reddidit. Quod mihi tuam dignitatem commenda

mendas: eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare; quam mehercule non habeo tua cariorem. quare mihi gratissimum facies, si exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec consilium, nec studium meum defuturum. cum tribuni pl. edixissent, senatus adesset ad XIII. Kal. Ian. haberentq. in animo de praesidio consulum des. referre: quamquam staturam in senatum ante Kal. Ian. non uenire; tamen, cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis diuinis in remp. meritis sileretur; quod factum esset, nisi ego uenissem; aut, etiam si quid honorifice de te diceretur, me non adesse. itaque in senatum ueni mane. quod cum esset animaduersum, frequentissimi senatores conuenerunt. quae de te in senatu egerim, quae in concione maxima dixerim, aliorum te litteris malo cognoscere. illud tibi persuadeas uelim, me omnia, quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae est per se amplissima, summo semper studio suscepturum, & defensurum: quod quamquam intelligo me cum multis esse facturum: tamen appetam huius rei principatum. Vale.

ARG. Hortatur Brutum, ne in salute populi R. conferuanda senatus auctoritatem exspectet, sed uoluntatem senatus pro auctoritate habeat.

Cicero s. D. Bruto imp. 7

CUM adhibuisset domi meae Lupus me, & Libonem,

Gell. l. 14. c. 7

id est, antequam
consulatum ini-
uissent Hirtius
& Pansa.

primum in se-
nato, deinde ad
populum.

Libonem, & Seruium, consobrinum tuum; quae
 mea fuerit sententia, cognosse te ex C. Seio arbi-
 tror; qui nostro sermoni interfuit. reliqua,
 quamquam statim Seium Graeceius est subsecu-
 tus, tamen ex Graeceio poteris cognoscere. Ca-
 put autem est hoc, quod te diligentissime percipe-
 re, & meminisse uelim, ut ne in libertate, &
 salute populi R. conseruanda auctoritatem se-
 natus exspectes nondum liberi: ne & tuum fa-
 ctum condemnes; (nullo enim publico consi-
 lio reip. liberaſti: quo est etiam res illa ma-
 ior, & clarior) & adolescentem, uel pué-
 rum potius Caesarem iudices temere fecisse, qui
 tantam causſam publicam priuato consilio susce-
 perit; denique homines rústicos, sed fortissi-
 mos uiros, ciuesq. optimos, dementes fuisse iu-
 dices, primum milites ueteranos, commilito-
 nes tuos, deinde legionem Mártiam, legionem
 quartam, quae suum consulem hostem iudica-
 uerunt, seq. ad salutem reip. defendendam con-
 tulerunt. uoluntas senatus pro auctoritate ha-
 beri debet, cum auctoritas impeditur metu.
 postremo suscepta tibi causſa iam bis est; ut
 non sit integrum; primúum idibus Mart. deinde
 proxime, exercitu nouo, & copijs comparatis.
 quamobrem ad omnia ita paratus, atque anima-
 tus esse debes, non, ut nihil facias, nisi iussus,
 sed ut ea geras, quae ab omnibus summa cum ad-
 miratione laudentur. Vale.

Scriboniae
 gentis.

superlata, per-
 cipere primú,
 deinde memi-
 nisse,

annum aetatis
 agentem x i x.
 Velleius l. 2. Ta-
 citus lib. 13. &
 ep. 28. lib. 10.
 Veg. l. 1. c. 3.

uide Philipp. 3.
 13. & 14.

Octauiano se
 tradiderunt.
 Velleius l. 2.

cum tyrannum
 priuato cōsilio
 occidisti.

DD ARG.



ARG. Scribit delegatis ad Antonium de pace missis, quaeq. sit omnium de Bruto exspectatio, consensioq. ad libertatem recuperandam

Cicero s, D. Bruto imp. 8

pro, Paulla. ut
olla, pro aulla,
uide ep. 10. l. 8.

legati ad Anto-
nium iuerant
Philippu, & Pi-
fo. uide ep. 4. l.
12. & Philip. 6.

rege enim ster-
ecto, regio nu-
tus intuemur,
ait ep. 1. l. 12.

nondum Pan-
sa, eius collega,
ad Mutinam
peruenerat.

E o tempore Pólla tua misit, ut ad te, si quid uellem, darem litterarum, cum, quid scriberem, non habebam. omnia enim erant suspen-
sa propter exspectationem legatorum: qui quid egissent, nihil dum nunciabatur. haec tamen scribenda existimani: primum, senatum populumq. R. de te laborare non solum salutis suae causa, sed etiam dignitatis tuae. admirabilis est enim quaedam tui nominis caritas, amorq. in te singularis omnium ciuium. ita enim sperant, atque confidunt, ut antea rege, sic hoc tempore régno te remp. liberaturum. Romae delectus habetur. totaq. Italia: si hic delectus appellandus est, cum ultro se offerunt omnes: tantus ardor animos hominum occupauit desiderio libertatis, odioq. diuitinae seruitutis. De reliquis rebus a te iam exspectare litteras debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtiús, quid Caesar meus: quos spero breui tempore societate uictoriae tecum copulatos fore. Reliquum est, ut de me id scribam, quod te ex tuorum litteris & spero, & malo cognoscere; me neque deesse ulla in re, neque umquam defuturum dignitati tuae. Fac ualeas.

ARG. Rogat Ciceronem, prospiciat, ne, utroque consule ad Mutinam occiso, hostes reip. conualescant, monetque, quid agendum.

Brutus



Brutus s. d. Ciceroni 9

PANSA amisso, quantum detrimenti resp. acceperit, non te praeterit. nunc auctoritate, & prudentia tua prospicias oportet, ne inimici nostri, consulibus sublatis, sperent se conualescere posse. ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam. sequar eum confestim. utrumque me praestaturum spero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. in primis rogo te, ad hominem uentosissimum Lepidum mitas, ne nobis bellum redintegrare possit, Antonio sibi coniuncto. Nam de Pollione Asinio, puto te perspicere, quid sit facturum. multae, & bonae, & firmae sunt legiones Lepidi, & Asinij. Neque haec iccirco tibi scribo, quod te non eadem animaduertere sciam, sed quod mihi persuasissimum est, Lepidum recte facturum numquam; si forte uobis id de hoc dubium est. Plancum quoque confirmetis, oro: quem spero, pulso Antonio, reip. non defuturum. Si se alpes Antonius transiecerit, constitui praesidium in alpibus collocare, & te de omni re facere certiorum. IV. Kal. Maij, ex castris, Regij.

ARG. Queritur de quorundam maleuolentia, reip. periculum exponit.

Brutus s. d. Ciceroni. 10

NON mihi remp. plus debere arbitror, quam me tibi. gratiorem me esse in te posse, quam isti peruersi sunt in me, exploratis habes: si tamen

DD 2 haec

Hirtium non nominat; quod in Pansa prudentia maior.

elapsus tamen est cum tribus legionibus, seq. cum Antonio coniuncta. ep. 33. & 34. l. 10 & sequenti huius libri.

quae tamen mihi maxime debet, ob tyrannum a me caesum.

qui non errat,
sed, quale quid
que est, tale iu-
dicat.

Hirtii, & Pan-
sae,
suspicionē suā
de Octauiano
significat: qui
consulatū pe-
tiit, nō adeptus
patriae bellum
Inulit.

ep. 15. 33. & 34.
lib. 10.
ep. 13.

ep. 15. & 33.
lib. 10.

haec temporis uideantur dici caussa, malle me
tuum iudicium, quam ex altera parte omnium
istorum. tu enim a certo sensu & uero iudicas
de nobis: quod isti ne faciant, summa maleuolen-
tia, & liuore impediuntur. interpellent me, quo
minus honoratus sim; dum ne interpellent,
quo minus resp. a me commode administrari pos-
sit. quae quanto sit in periculo, quam potero
breuissime exponam. Primum omnium, quan-
tam perturbationem rerum urbanarum afferat
obitus consulū, quantamq. cupiditatem homi-
nibus iniiciat uacuitas, non te fugit. Satis me
multa scripsisse, quae litteris commendari pos-
sint, arbitror. scio enim, cui scribam. Reuertor
nunc ad Antonium: qui ex fuga cum paruulam
manum peditum haberet inermium, ergastula
soluendo, omneq. genus hominum arripiendo,
satis magnum numerum uidetur effecisse. huc ac-
cessit manus Ventidij: quae, trans Apenninum
itinere facto difficillimo, ad Vada peruenit; atque
se ibi cum Antonio coniunxit. est numerus uete-
ranorum, & armatorum satis frequens cum
Ventidio. consilia Antonij haec sint necesse est;
aut ad Lepidum ut se conferat, si recipitur; aut
Apennino, alpibusq. se teneat, & decursioni-
bus per equites, quos habet multos, uastet ea lo-
ca, in quae incurrerit; aut rursus se in Etruriam
referat; quod ea pars Italiae sine exercitu est. quod
si me Caesar audisset, atque Apenninum tran-
sisset:

fisset: in tantas angustias Antonium compulisset, ut inopia potius, quam ferro, conficeretur. sed neque Caesari imperari potest: nec Caesar exercitui suo: quod utrumque pessimum est. Cum haec talia sint: quo minus, quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut supra scripsi, non impedio: haec quemadmodum explicari possint, aut, a te cum explicabuntur, ne impediuntur, timeo. alere iam milites non possum, cum ad remp. liberandam accessi, HS mihi fuit pecuniae CD' amplius. tantum abest, ut meae rei familiaris liberum sit quidquam, ut meos iam omnes amicos aere alieno obstrinxerim. septenum numerum legionum alo; qua difficultate, tu arbitrare. non, si V'arro nis thesauros haberem sustinere sumptum possem. Cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiores. Tu me amabis, ita, si hoc idem me in te facere senseris. IIII. non. Maij, ex castris, Dertona. Vale.

ARG. Scribit de Antonii profectioe ad Lepidum, & de dubia Planci fide, suoq. in remp. studio, atque constantia.

Brutus imp. cos. des. s. d.
Ciceroni.

II

EODEM exemplo litterae a te mihi redditae sunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere existimo, quantum persolvere difficile est. Scripsi tibi, quae hic gererentur. in itinere est Antonius, ad Lepidum proficiscitur: ne de Planco

DD 3 quidem

expone quadringentes, hoc est, duodecies centena fututorum millia.

locus corruptus.

coloniz. Pli. l. 3. cap. 5. Dertona nem Strabo nominat lib. 5. insignem civitatem, inter Genuam, & Placentiam.



ob amicitiae re-
cordationem.
ep. 33. lib. 10.

cisalpinae. nam
transalpinae
praecerat Plan-
cus.

Plinius, & alii.

duo praecipua
nominavit ep.
7. Caesaris ne-
cem, & copias
reip. causa co-
paratas. acces-
sit postea victo-
ria Mutinensis.

quidem spem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt: in quibus, quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat. ego tamen non habui ambiguum, & statim ad Plancum misi; et biduo ab Allobrogibus, & totius Galliae legatos expecto; quos confirmatos domum remittam. Tu, quae istic opus erunt administrari, prospicies, ut ex tua uoluntate, rei q. pub. commodo fiant. malevolentiae hominum in me, si poteris, occurre: si non poteris, hoc te consolabere, quod me de statu meo nullis contumelijs deterrere possunt. Pridie non. Maij, ex castris, sinibus Statiellensium.

ARG. Queritur, bellum ab Antonio renouatum, & in eo Bruti culpam uidetur agnoscere.

Cicero s. d. Bruto imp. cos. des. 12

TRES uno die a te accepi epistolas; unam breuem, quam Flacco Volumnio dederas; duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibij attulit, alteram ad me misit Lupus. Ex tuis litteris, & ex Graeceij oratione non modo non restinctum bellum, sed etiam inflammatum uidetur. non dubito autem pro tua singulari prudentia, quin perspicias, si aliquid firmitatis natum sit Antonius, omnia illa tua praeclara in remp. merita ad nihilum esse uentura. ita enim Romam erat nunciatum, ita persuasum omnibus, cum paucis inermibus, perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium. qui si ita se habet, ut, quemad-

quemadmodum audiebam de Graecio, con-
 fugi cum eo sine periculo non possit: non ille mihi
 fugisse a Mutina uidetur, sed locum belli gerendi
 mutasse. itaque homines alij facti sunt. non nulli
 etiam queruntur, quod persecuti non sitis, op-
 primi potuisse, si celeritas adhibita esset, existi-
 mant. omnino EST hoc populi, maximeq. no-
 stri, in eo potissimum abuti libertate, per quem
 eam consecutus sit. sed tamen prouidendum est,
 ne quae iusta querella esse possit. res sic se habet.
 is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit.
 hoc quam habeat uim, te existimare malo, quam
 me apertius scribere. Vale.

ARG. Excusat tarditatem suam in Antonio persequen-
 do, & quo res statu sit, exponit.

Brutus imp. cos. des. s. D.

Ciceroni.

13

I AM non ago tibi gratias. cui enim re uix
 referre possum, huic uerbis non patitur res sa-
 tis fieri. Attendere te uolo, quae in manibus
 sunt. qua enim prudentia es, nihil te fugiet, si
 meas litteras diligenter legeris. Sequi confestim
 Antonium his de causis, Cicero, non potui. eram
 sine equitibus, sine iumentis: Hirtium periisse ne-
 sciebam: Caesari non credebam prius, quam con-
 uenisset, & collocutus essem. hic dies hoc modo
 abiit. postridie mane a Pansa sum accersitus Bó-
 noniam. cum in itinere essem, nunciatum mihi
 est, eum mortuum esse. recurri ad meas copio-

DD 4 las.

id est in eum li-
 berrime loqui.

ijisdem uerbis
 & Placum hor-
 ratus est, Bruti
 collegam, ep.
 13. 29. & 20.
 lib. 10.

cur crederet e-
 ius filio, quem
 occiderat, App.
 1. 3. de bel. ci.
 quo ex pugna
 fugerat, Appia-
 nus, Dio.

*fas . sic enim uere eas appellare possum . sunt ex-
tenuatissimae , & inopia omnium rerum pessime
acceptae . biduo me Antonius antecessit itinere
multo maiore fugiens , quam ego sequens . ille e-
nim iit passim , ego ordinatim . quacumque iuit ,
ērgastula soluit , homines arripuit : constitit nus-
quam prius , quam ad Vada uenit : quem locum
uolo tibi esse notum . iacet inter Apenninum , &
alpes , impeditissimus ad iter faciendum . cum
abessem ab eo millia passuum triginta , & se iam
V entidio coniunxisset ; concio eius ad me est alla-
ta ; in qua petere coepit a militibus , ut se trans
alpes sequerentur : sibi cum M. Lepido conuenire .
eres erant Ven- tidianis , (nam suos ualdequam paucos habet)
tidii legiones . *sibi aut in Italia pereundum esse , aut uincendum .*
ep. 33. & 34. *etiam orare coeperunt , ut Pollentiam iter face-*
lib. 10. *rent . cum sustinere eos non posset , in posterum*
diem iter suum contulit . hac re mihi nunciata ,
statim quinque cohortes Pollentiam praemisi ,
meumq. iter eo cotulit . hora ante praesidium
meum Pollentiam uenit , quam Trēbellius cum
equitibus . sanequam sum gauisus : in hoc enim
uictoriam puto consistere . in spem uenerant ,
quod neque Planci quattuor legiones omnibus
suis copijs pares arbitrabantur ; neque ex Italia
tam celeriter exercitum transijci posse credebant .
quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges ,
equitatusq. omnis , qui eo praemissus erat a nobis ,
*sustinebant ;**

supra, ep. 10.

Pli, lib. 3. c. 5.

eres erant Ven-
tidii legiones .
ep. 33. & 34.
lib. 10.

Pli 1. 3. cap. 5.

is, de quo Phi-
lip. xi.

ep 15. lib. 10.

sustinebant; nostroq. aduentu sustineri facilius posse confidimus. tamen, si quo etiam casu Isaram se transierint; ne quid detrimenti reip. iniungant, summa a nobis dabitur opera. Vos magnum animum, optimamq. sp̄e de summa rep. habere uolumus; cum & nos, & exercitus nostros, singulari concordia coniunctos, ad omnia pro uobis uideatis paratos. sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareq. operam, ut quamparatissimi ab exercitu, reliquisq. rebus pro uestra salute contra sceleratissimam conpirationem hostium conflagamus. qui quidem eas copias, quas diu simulatione reip. comparabant, subito ad patriae periculum conuerterunt.

ARG. Ad Bruti litteras respondet. de Octauiano ornando, de legionibus ad Brutum perducendis, de pecunia, aliisque rebus.

Cicero s. D. Bruto imp. 14

MIRABILITER, mi Brute, laetor, mea consilia, measq. sententias a te probari de decemuiris, de ornando adolescente. sed quid refert? mihi crede, homini non glorioso, plane iam Brute frigeo. ὄψωνος enim erat meum senatus: id iam est dissolutum. tantum spem attulerat exploratae uictoriae tua praeclara Mutina eruptio, fuga Antonij conciso exercitu; ut omnium animi relaxati sint; meaeq. illae uehementes contentiones tamquam οὐσιαμαχία esse uideantur. Sed, ut ad rem redeam: legionem Martiam,

ut Octavianus inter Xuiros esset, ep. 20.

uideo scriptum esse in antiquis libris, Mutinae.

&



Et Quartam negant, qui illas norunt, ulla con-
 ditione ad te posse perducī. Pecuniae, quam de-
 sideras, ratio potest haberi, eaq. habebitur. De
 Bruto accersendo, Caesareq. ad Italiae praesidiū
 tenendo, ualde tibi assentior: sed, ut scribis, ha-
 bes obrectatores: quos equidem facillime susti-
 neo; sed impediunt tamen. Ex Africa légiones
 expectantur: sed bellum istic rénatum homines
 mirantur, nihil tam praeter spem umquam. nam,
 die tuo natalis uictoria nunciata, in multa saecu-
 la uidebamus remp. liberatam. noui timores re-
 texunt superiora. scripsisti autem ad me ijs, quas
 idib. Maij dedisti, modo te accepisse a Planco
 litteras, non recipi a Lepido Antonium. id si ita
 est, omnia faciliora: sin aliter, magnum nego-
 tium: cuius exitum ne extimescam, tuae par-
 tes sunt. ego plus, quam feci, facere non pos-
 sum. te tamen, id quod spero, omnium maximum,
 & clarissimum uidere cupio. Vale.

ARG. Laudat officium, & diligentiam Bruti; uoluptatē,
 laeticiamq. omnium significat ex Bruti, Planci-
 q. coniunctio-
 ne; eumq. hortatur, ut in tuenda rep. se ipsum uincat.

Cicero s. d. Bruto imp. 15

ET SI mihi tuae litterae iucundissimae sunt:
 tamen iucundius fuit, quod in summa occupa-
 tione tua Planco cōlegae mandasti, ut te mi-
 hi per litteras excusaret. quod fecit ille diligen-
 ter. mihi autem nihil amabilius officio tuo, & dili-
 gentia. Coniunctio tua cum collega, concordiaq.
 uestra,

M. Bruto, qui
 cum Caesio ma-
 re transferat.

ueteranae.

ep. 24 lib. 10. &
 26.

uide ep. ad M.
 Brutum, cuius
 initiū est, Mes-
 sallam.

sic in agr. 2. In
 hunc anō pro-
 fessus sum otij
 me, & concor-
 diae patronum

infra ep. 21.

quia consules
 erant designati
 in proximum
 annum.

uestra, quae litteris comunibus declarata est, senatui, populoq. R. gratissima accidit. Quod superest, perge mi Brute, iam non cum alijs, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, praesertim ad te, quo magistro breuitatis uti cogito. Litteras tuas uehementer exspecto, et quidem tales, quales maxime opto.

ARG. Commendat L. Aelius Lamiam in petitione praeturae.

Cicero s. D. Bruto imp. 16

PER MAGNI interest, quo tibi haec tempore epistola reddita sit; utrum, cum sollicitudinis aliquid haberes; an, cum ab omni molestia uacuus esses, itaque ei praecepi, quem ad te misi, ut tempus obseruaret epistolae tibi reddendae. nam quemadmodum coram, qui ad nos intempestiue adeunt, molesti saepe sunt: sic epistolae offendunt, non loco redditae. si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit; & ille, cui mandavi, satis scite, & commode tempus ad te cepit adeundi: confido me, quod uelim, a te facile impetraturum. L. Lamia praeturam petit. hoc ego utor uno omnium plurimum. magna uetustas, magna consuetudo intercedit: quodq. plurimum ualet, nihil mihi eius est familiaritate iucundius. magno praeterea beneficio eius, magnoq. merito sum obligatus. nam Clodianis temporibus, cum equestri ordinis princeps esset, proq. mea salute acerrime propugnaret, a Gabi-

nio

quae oppressum
Antonium &
gnificent.

hoc, ut suū studium erga Lamiam clarius ostendat.

alieno tempore: ut illud, desipere in loco, sapientia est.

In oratione pro
Sextio, & pro
domo, & hic,
ep. 29. lib. 12.

munus enim
aediles populo
dabant.

praetores enim
centuriatis co-
mitijs creaban-
tur, ut Gellius
lib. 13. c. 14. de-
monstrat.

ep. 29. lib. 12.

quae, biennio
interiecto, aedi-
litem conse-
quebatur.

nio cos. relegatus est: quod ante id tempus civi Romano Romae contigit nemini. hoc cum populus R. meminerit, me ipsum non meminisse turpissimum est. quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere praeturam. quamquam enim Lamia summo splendore, summa gratia est, usus magnificentissimo munere aedilicio: tamen, quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negotium. nunc, si me tanti facis, quanti certe facis; quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus: ponam in extremo, quod sentio. nihil est Brute, cum omnia a te expectem, quod mihi gratius facere possis. Vale.

ARG. Commendat eundem Lamiam.

Cicero s. D. Bruto imp. 17

LAMIA uno omnium familiarissime utor. magna eius in me non dico officia, sed merita, eaque sunt populo R. notissima. is, magnificentissimo munere aedilitatis perfunctus, petit praeturam: omnesque intelligunt, nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. sed is ambitus exstare videtur, ut ego omnia pertimescam, totamque petitionem Lamiae mihi sustinendam putem. in ea re quantum me possis adiuuare, facile perspicio: nec uero, quantum mea causa uelis, dubito. uelim igitur, mi Brute, tibi persuadeas, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse.

posse, quam si omnibus tuis õpibus, omni studio Lamiam in petitione inueris. quod ut facias, uehementer te ergo. Vale.

pro eo quãtum ualebis.

ARG. Reprehendit in Bruto non nullam timoris significationem.

Cicero s. D. Bruto imp. 18

ET SI ex mandatis, quae Gãlbae, Volumnioq. ad senatum dedisti, quid timendum, suspicandumq. putares, sospicabamur: tamen timidiora mandata uidebantur, quam erat dignum tua, populiq. R. uictoria. senatus autem, mi Brute, fortis est, & habet fortes duces: itaque moleste ferebat, se a te, quem omnium, quicumque fuissent, fortissimum iudicaret, timidum, atque ignauum iudicari. etenim cum, te incluso, spem maximam omnes habuissent in tua uirtute, florente, Antonio; quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec uero Lepidum timebamus. quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem uelle se dixisset, is in optatissima pace bellum reip. indiceret? Nec dubito, quin tu plus provideas, sed tamen, tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renouatio timoris magnam molestiam afferebat. Quare uelim equidem, id quod spero, ut plane abiectus, et fractus sit Antonius: sin aliquid uiriũ forte collegerit; sentiet, nec senatui consilium, nec populi R. uirtutẽ deesse

ep. 30. lib. 10.

Mutinensi:

uide ep. 27. lib. 10. & 8. lib. 11.

in Pisonem.

deesse, nec reip. te uiuo, imperatorem. XIV.
Kal. Iun. Vale.

ARG. Timere se scribit reip. uicem: & Vicetinos commendat.

Brutus s. d. Ciceroni. 19

AD senatum quas litteras misi, uelim prius perlegas; & si qua tibi uidebuntur, commutes. necessario me scripsisse, ipse animaduertes. nam cum putarem Quartam, et Martiam legiones mecum futuras, ut Druso, Paulloq. placuerat, uobis assentientibus; minus de reliquis rebus laborandum existimaui. nunc uero cum simul cum tironibus egentissimis: ualde & meam, & uestram uicem timeam necesse est. Vicetini me & M. Brutum precipue obseruant. his ne quam patiari iniuriam fieri in senatu uernarum causa, a te peto. Causam habent optimam, officium in reip. summum, genus hominum aduersariorum seditiosum, & inertissimum. XI I, Kal. Iun. Vercellis.

supra, ep. 14.

reliquo senatu. quas a uobis non impetrabam.

fic in antiquis monumentis.

libri ueteres, rep.

ARG. Timere se ait Ciceronis causa; eumq. monet, ut ueteranorum animos sibi conciliet.

Brutus imp. s. d. Ciceroni. 20

QVOD pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaq. officia cogunt, ut timeam. saepe enim mihi cum esset dictum, neque a me contemptum, nouissimae Labeo Segulius, homosui simillimus, narrauit mihi, apud Caesarem se fuisse, multumq. sermonem de te habiturum esse.

se: ipsum Caesarem nihil sane de te questum, nisi dictum, quod diceret te dixisse laudandum adolescentem, ornandum, tollendum; se non esse commissurum, ut tolli possit. hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. Veteranos uero pessime loqui, uolebat Labeo me credere, & tibi ab ijs instare periculum, maximeq. indignari, quod in Xuiris neque Caesar, neque ego habiti essemus, atque omnia ad uestrum arbitrium essent collata. Haec cum audissem, & iam in itinere essem, committendum non putavi, prius ut alpes transgrederer, quam, quid istic ageretur, scirem. nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione uerborum, & denunciatione periculi sperare eos, te perterrefacto, adolescente impulso, posse magna consequi praemia; & totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quamplurimum lucri faciant. neque tamen non te cautum esse uolo, & insidias uitantem. nihil enim tua mihi uita potest esse iucundius, neque carius. illud uide, ne, timendo, magis timere cogare: & quibus rebus potest occurri ueteranis, occurras: primum, quod desiderant de Xuiris, facias: deinde, de praemijs, si tibi uidetur, agros militum eorum, qui cum Antonio ueterani fuerunt, his dandos censeas ab utrisque nostrum: de nummis, lente, ac ratione habita pecuniae: senatum de ea re constituturum. quattuor legionibus ijs, quibus a-

gros;

est enim ambigua significatio uerbo, tollendum: Paterculus lib. 2.

ad agros ueteranis diuidendos. ad Att. ep. 19. lib. 15.

ueteranos.

ut Octavianus in decemuiris sit. ep. 14. App. l. 3. de bel. ci. me. & Octavianus.

Phil. VII.



cuius partem
diuiserat Cae-
sar, pars publi-
ca remanserat,
de qua ep. 9 l. 1
& 10. l. 8.

ad Antonium
persequendum.

sic locutus est
ep. x l. lib. 5.

ideo creatis, ut
agros militi-
bus, post Muti-
nensem uicto-
riam, diuiderent.

gros dandos censuistis, uideo facultatem fore ex
agris Syllanis, & agro Campano. aequaliter, aut
sorte agros legionibus assignari puto oportere.
Haec me tibi scribere non prudentia mea horta-
tur, sed amor in te, & cupiditas otij; quod sine
te consistere non potest. Ego, nisi ualde necesse
fuerit, ex Italia non excedam. legiones armo, pa-
ro: spero me non pessimum exercitum habiturum
ad omnes casus, & impetus hominum. de exer-
citu, quem Pansa habuit, legionem mihi Caesar
non remittit. Ad has litteras statim mihi rescri-
be; tuorumq. aliquem mitte, si quid reconditum
magis erit, meq. scire opus esse putaris. Vale.
VIII. Kal. Iun. Eporaedia.

A. R. G. Respondet proxime superiori epistolae.

Cicero s. D. Bruto imp. 21

DII isti Segulio male faciat, homini nequis-
simo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri
sunt. quid? ut illum tecum solum, aut cum Cae-
sare, qui neminem praetermiserit, quicum lo-
qui potuerit, cui non eadem ista dixerit? te ta-
men, mi Brute, sic amo, ut debeo, quod istud,
quidquid esset, nugarum me scire uoluisti: signum
enim magnum amoris dedisti. Nam quod idem
Segulius ait ueteranos queri, quod tu, & Cae-
sar in decemuiris non essetis: utinam ne ego qui-
dem essem: quid enim molestius? sed tamen, cum
ego sensissem, de ijs, qui exercitus haberent, sen-
tentiam ferri oportere, ijdem illi, qui solent, recla-
marunt:

marunt: itaque excepti etiam estis, me uehementer repugnante. quocirca Segulium negligamus, qui res nouas quaerit: non quo ueterem comederit: nullam enim habuit: sed hanc ipsam recentem nouam deuorauit. Quod autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me facere, ut de me timeas aliquid: omni te, uir optime, mihiq. carissime Brute, de me metu libero. ego enim, quae prouideri poterunt, non fallar in ijs: quae cautionem non habebunt, de ijs non ita ualde laboro. sim etenim impudens, si plus postulem, quam homini a rerum natura tribui potest. Quod mihi praecipis, ut caueam, ne, timendo, magis timere cogar: & sapienter, & amicissime praecipis: sed uelim tibi persuadeas; cum te constet excellere hoc genere uirtutis, ut numquam extimescas, numquam perturbare, me huic tuae uirtuti proxime accedere. quamobrem neque metuum quidquam, & cauebo omnia. sed uide, ne tua iam, mi Brute, culpa futura sit, si ego quidquam timeam. tuis enim opibus, & consulatu tuo, etiam si timidi essemus, tamen omnem timorem abijceremus; praesertim cum persuasum omnibus esset, mihiq. maxime, nos a te unice diligere. Consilijs tuis, quae scribis, de quattuor legionibus, deq. agris assignandis ab utrisque uestrum uehementer assentior. itaque, cum quidam de collegis nostris agrariam curationem liguri-

recenti hereditate acceptam.

supra, ep. 14. cuius iam tempus appropinquabat.

ep. 10.

de decemuiris.

EE reser-



reseruau. si quid erit occultius, et, ut scribis, reconditum; meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te litterae perferatur. Vale. Pridie non. Iun.

ARG. Petit a Bruto, ut Ap. Claudium, qui Antonii partes secutus erat, in ciuitate retineat.

Cicero s. d. Bruto imp.

in Caesaris nece, & Mutinensi eruptione.

id est aequam, ut alibi.

nobilissimi enim Claudii, non modo Patricii, Pulchri, ac Neronis, sed plebei etiam, Marcelli.

CUM Ap. Claudio C. F. summa mihi necessitudo est, multis eius officijs, & meis mutuis constituta. peto a te maiorem in modum, uel humanitatis tuae, uel mea causa, ut eum auctoritate tua, quae plurimum ualet, conseruatum uelis. uolo te, cum fortissimis uir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse saluum. cuius quidem causa hoc melior debet esse, quod, pietate adductus, propter patris restitutionem se cum Antonio coniunxit. quare etsi minus ueram causam habebis, tamen uel probabilem aliquam poteris inducere. nutus tuus potest hominem summo loco natum, summo ingenio, summa uirtute, officiosissimum praeterea, & gratissimum, in ciuitate retinere. quod ut facias, ita a te peto, ut maiore studio, magis ue ex animo petere non possim. Vale.

ARG. Hortatur Ciceronem ad bene sperandum.

Brutus s. d. Ciceroni.

Nos hic ualemus recte; & quo melius ualeamus, operam dabimus. Lepidus commode

de nobis sentire videtur. omni timore deposito, debemus libere reip. consulere. quod si omnia essent aliena, tamen tribus tantis exercitibus, proprijs reip. ualentibus, magnum animum habere debebas, quem & semper habuisti, & nunc, fortuna adiuuante, augere potes. Quae tibi superioribus litteris mea manu scripsi, terrendi tui caussa homines loquuntur. si frenū momorderis; peream, si te omnes, quotquot sunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antea scripsi, dum mihi a te litterae ueniant, in Italia morabor. Vale.

Bruti, Planci
Octauiani.

De Segulio ma-
xime itelligit.
supra, ep. 20.

VIII. Kal. Iun. Eporaedia.

ARG. Bruti epistola, si quid antea fuerat timoris, ademptum significat. addit, quid Bruto sit agendum, & de pecunia decreta.

Cicero s. d. Bruto. 24

NARRO tibi: antea sibi irascebar breuitati tuarum litterarum: nunc mihi loquax esse uideor. te igitur imitabor. Quam multa quam paucis: te recte ualere, operamq. dare, ut quotidie melius: Lepidum commode sentire: tribus exercitibus quiduis nos oportere confidere. si timidus essem, tamen ista epistola mihi omnem metum abstersisses. sed, ut mones, frenum momordi. etenim, qui, te incluso, omnem spem habuerim in te; quid nunc putas? cupio iam uigiliam meam, Brute, tibi tradere, sed ita, ut ne desim constantiae meae. Quod scribis, in Italia te moraturum, dum tibi litterae meae ueniant: si per

cum te uideam
tam paucis tā
multa comple-
ti.

trāstatio ab ex-
cubantibus mi-
litibus. nex au-
tem in quattu-
or uigilias di-
stributa.

EE 2 hostem

Isaurici filium
consularem.

hostem licet, non erraris. multa enim Romae.
sin aduentu tuo bellum confici potest: nihil sit anti-
quius. Pecunia, expeditissima quae erat, tibi de-
creta est. Habes amantissimum Séruium. nos
non desumus. Vale. VIII. id. Iun.

ARG. Scribit, se breuitatem in scribendo amare, Bruti
exemplo: reip. ipem in ipso, & in Planco esse: de M. Bruto
nihil certi.

Cicero s. d. Bruto imp. 25

EXPECTANTI mihi tuas quotidie
litteras Lupus noster subito denunciauit, ut ad
te scriberem, si quid uellem. ego autem, etsi, quid
scriberem, non habebam; (acta enim ad te mitti
sciebam: inanem autem sermonem litterarum ti-
bi iniucundum esse audiebam) breuitatem secu-
tus sum te magistro. scito igitur in te, & in col-
legá spem omnem esse. De Bruto autem nihil ad-
huc certi: quem ego, quemadmodum praecipis,
priuatis litteris ad bellum commune uocare non
desino. qui utinam iam adesset: intestinum ur-
bis malum, quod est non mediocre, minus time-
remus. Sed quid ago? non imitor λακωνισμὸν tu-
um. altera iam pagella pröcedit. uince, & uale.
XIV. kal. Quinti.

ARG. Sollicitus ob Antonii cum Lepido coniunctione,
postulat, ut & legationes ad eum mittantur, & stipendium.

Brutus s. d. Ciceroni 26

IN maximo meo dolore hoc solatio utor,
quod intelligunt homines, non sine causa meti-
m. Iste ista, quae acciderunt. Deliberent, utrum
trajciant

L. Planco.
ep. 14.

erant enim qui
Octavianū, in
te. f. ctis. Panta
& Hirtio, ad pe-
titionem consu-
latus incitarēt
ep. 24 lib. 10
iam i altera pa-
gella coeperat
scribere.

haec cū ironia.

traiciant legiones ex Africa, nec ne, & ex Sardinia; Brutum accersant, nec ne; mihi stipendium dent, an non; decernant, ad senatum literas misi. crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo, magnum nos omnes adiuturos periculum. rogo te, uidete, quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. & fide opus est, & celeritate. Vale. III, non. Iun. ex castris.

ARG. Questus erat Matius, se a Cicerone, ut libertatis inimicum, accusari Cicero factum negat.

Cicero s. D. C. Matio. 27

NONDVM satis constitui, molestiae ne plus, an uoluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tum plenus officij, tum utrisque nostrum amantissimus. nam cum in Tusculanum uesperis uenissem; postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore cum esset, mane uenit. quem cum obiurgarem, quod parum ualetudini parceret: tum ille, nihil sibi fuisse longius, quam ut me uideret. numquidnam, inquam, noui? detulit ad me querellam tuam: de qua prius quam respondeo, pauca praeponam. Quantum memoria repetere praeterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. sed VETUSTA s habet aliquid commune cum multis, amor non habet. dilexi te, quo die cognoui, meq. a te diligere iudicavi. tuus deinde discessus, isq. diuturnus, ambitio nostra, & uitae dissimilitudo non est passa uoluntates no-

uerissimum augurium. nam, Nouembri proximo mense inter Lepidum, Antonium, Octavianum secerare, & omnia perdere Velleius, Dio, alii. doctissimum. p. pel ar Matium ep. 15 lib 7.

a uetustate.

a mutua beneuolentia.



a beneficiis .

a familiaritate .

ab officio .

a constantia .

aliquando pae-
nituit. unde ad
Att. lib. XI.

stras consuetudine conglutinari . tuum tamen er-
ga me animum agnoui multis annis ante bellum
ciuile , cum Caesar esset in Gallia : quod enim ue-
hementer mihi utile esse putabas , nec inutile ipsi
Caesari , perfecisti , ut ille me diligeret , coleret ,
haberet in suis . Multa praetereo , quae tempori-
bus illis inter nos familiarissime dicta , scripta ,
communicata sunt , grauiora enim sunt consecuta .
Et initio belli ciuilis , cum Brundisium uersus iret
ad Caesarem , uenisti ad me in Formianum . pri-
mum , hoc ipsum quanti , praesertim temporibus
illis ? deinde , oblitum me putas consilij , sermo-
nis , humanitatis tuae ? quibus rebus interesse
memini Trebatium . Nec uero oblitus sum litte-
rarum tuarum , quas ad me misisti , cum Caesari
obuiam uenissem in agro , ut arbitror , Trebula-
no . Secutum illud tempus est , cum me ad Pom-
peium proficisci siue pudor meus coegit , siue offi-
cium , siue fortuna . quod officium tuum , quod stu-
dium uel in absentem me , uel in praesentes meos
defuit ? quem porro omnes mei & mihi , & sibi
te amiciores iudicauerunt ? Veni Brundisium . ob-
litum ne me putas , qua celeritate , ut primum
audieris , ad me Tarento aduolaris ? quae tua fue-
rit assensio , oratio , confirmatio animi mei , fracti
communium miseriarum metu ? Tandem aliquando
Romae esse coepimus : quid defuit nostrae familiar-
itati ? in maximis rebus , quonam modo me ge-
rerem aduersus Caesarem , usus tuo consilio sum .
in

in reliquis officijs cui te tribuisti, excepto Caesare, praeter me ut domum uentitares, horasque multas saepe suauissimo sermone consumeres? tum, cum etiam, si meministi, ut haec φιλοσοφύμενα scriberem, tu me impulisti. Post Caesaris reditum quid tibi maiori curae fuit, quam ut essem ego illi quam familiarissimus? quod effecerat. Quorsum igitur haec oratio longior, quam putaram? quia sum admiratus, te, qui haec nosse deberes, quidquam a me commissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse. nam praeter haec, quae commemorauimus, quae testata sunt, et illustria, habeo multa occultiora, quae uix uerbis exsequi possum. omnia me tua delectant, sed maxime maxima cum fides in amicitia, consilium, grauitas, constantia, tum lepos, humanitas, litterae. quapropter redeo nunc ad querellam. Ego, te suffragium tulisse in illa lege, primum non credidi: deinde, si credidissem, numquam id sine aliqua iusta causa existimarem te fecisse. dignitas tua facit, ut animaduertatur, quidquid facias: maleuolentia autem hominum, ut non nulla durius, quam a te facta sint, proferantur. ea si tu non audis; quid dicam, nescio; equidem, si quando audio, tam defendo, quam me scio a te contra iniquos meos solere defendi. defensio autem est duplex. alia sunt quae liquido negare soleam, ut de isto ipso suffragio: alia, quae defendam a te pie fieri, et humane, ut de curatione ludorum. sed te, hominem

confectis ciuilibus bellis.

ad querellam
responsio.

incommodum
uertit in laudem.

ep. 10. lib. 10.

Philipp. 1.

ep. 15. lib. 7.

EE 4 doctis.



ep. 15. lib. 7.

qua fortasse &
ipse Cicero
utebatur.

fic ad Att. ep. 9.
lib. 9. Existima-
tus ē sēper au-
ctor orii.

quibus me tibi
purgavi.

dōctissimum, non fugit, si Caesar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur, in utramque partem de tuo officio disputari posse; uel in eam, qua ego uti soleo, laudandam esse fidem, et humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas; uel in eam, qua non nulli utuntur, libertatem patriae uitae amici anteponendam. ex his sermonibus utinam essent delatae ad te disputationes meae. Illa uero duo, quae maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius, quam ego, commemorat, aut saepius; te et non suscipiendi belli ciuiliis grauissimum auctorem fuisse, & moderandae uictoriae in quo qui mihi non assentiretur, inueni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari nostro, qui mihi dedit causam harum litterarum. quibus nisi credideris; me omnis officij, & humanitatis expertem iudicaris: quo nec mihi grauius quidquam potest esse, nec a te alienius. Vale.

ARG. Excusatio Matii & pro se ipso, & contra calumniatores.

Matius s. d. Ciceroni.

28

captat beneuo-
lentiam a suo
studio erga Ci-
ceronem.

MAGNAM uoluptatem ex tuis litteris cepi, quod, quam speraram, atque optaram, habere te de me opinionem cognoni. de qua etsi non dubitabam; tamen, quia maximi aestimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. conscius autem mihi eram, nihil a me commissum esse, quod boni cuiusquam offenderet animum. eo minus credebam, plurimis, atque optimis artibus ornato tibi

tibi temere quidquam persuaderi potuisse, praesertim in quem mea propensa, & perpetua fuisset, atque esset beneuolentia. quod quando, ut uolui, scio esse; respondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua singulari bonitate, & amicitia nostra saepe restitisti. nota enim mihi sunt, quae in me post Caesaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quod mortem hominis necessarij grauer ferō, atque eum, quem dilexi, perisse indignor. aiunt enim patriam amicitiae praeponeendam esse; perinde ac si iam uicerint, obitum eius reip. fuisse utilem. sed non agram astute. fateor me ad iustum gradum sapientiae non peruenisse. neque enim Caesarem dissensione civili sum secutus: sed amicum, quamquam re offendebam, tamen non deserui: neque bellum umquam civile, aut etiam causam dissensionis probaui; quam etiam nascentem extinguere summe studui. itaque, in uictoria hominis necessarij, neque honoris, neque pecuniae dulcedine sum captus. quibus praemijs reliqui, minus apud eum, quam ego, cum possent, immoderate sunt abusi. Atque etiam res familiaris mea, lege Caesaris de minuta est: cuius beneficio plerique, qui Caesaris morte laetantur, remanserunt in ciuitate. Cuius uictis ut parcere, aequae, ac pro mea salute, laboraui. Possum igitur, qui omnes uoluerim incolumes, eum, a quo id impetratum est, perisse non indignari? cum praesertim ijdem homines illi

obicitio.

confutatio.

civili bello.

auctor fuit non suscipiendi belli civilis.

de qua lege l. 3. comm. de bello ci.

auctor fuit moderandae uictoriae.

infamiae, quod
nimium eos or
naret. ep. 1. l. 1.
ex una parte
Caesaris percuf
tores, ex altera
se ipsum descri
bit.

hic in tribus an
tiquis libris ui
deo scriptum
esse, nō, ut alius
placet, oppe
tendam.

aetati aliquid
conceditur.

illi & inuidiae, & exitio fuerit. Plecteris er
go, inquiunt; quando factum nostrum impro
bare audes. o superbiam inauditam, alios in
facinore gloriari, alij ne dolere quidem impu
ne licere. at haec etiam seruis semper libera fue
runt, timerent, gauderent, dolerent suo potius
quam alterius, arbitrio. quae nunc, ut quidem
isti dictitant, libertatis auctores metu nobis ex
torquere conantur, sed nihil agunt. nullius um
quam periculi terrioribus ab officio, aut ab hu
manitate desciscam. NUMQUAM enim hone
stam mortem fugiendam, saepe etiam appēten
dam putavi. Sed quid mihi succensent, si id o
pto, ut paeniteat eos sui facti? cupio enim Cae
saris mortem omnibus esse acerbam. at debeo
pro civili parte remp. uelle saluam. id quidem
me cupere, nisi & ante acta uita, & reliqua
mea spes, tacente me, probat: dicendo uincere
non postulo. quare maiorem in modum terogo,
ut rem potiolem oratione ducas: mihi que, si sen
tis expedire recte fieri, credas nullam commu
nionem cum improbis esse posse. an, quod ado
lescens praestiti, cum etiam errare cum excusa
tione possem; id nunc, aetate praecipitata, com
mutem, ac me ipse retexam? non faciam; neque,
quod displiceat, committam, praeterquam quod
hominis mihi coniunctissimi, ac uiri amplissi
mi doleo grauem casum. quod si aliter essem ani
matus; numquam, quod facerem, negarem; ne

& in peccando improbus, & in dissimulando timidus, ac uanis existimarer. At ludos, quos obiectio.
 Caesaris uictoriae Caesar adolescens fecit, curauimus. At id ad priuatum officium, non ad statum confutatio.
 reip. pertinebat. quod tamen munus & hominis amicissimi memoriae, ac honoribus praestare etiam mortui debui; & optimae spei adolescenti, ac dignissimo Caesare, petenti negare non potui. Veni etiam consulis Antonij saepe domum salutandi causa: ad quem, qui me parum patriae amantem esse existiment, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causa frequentes uentitasse reperies. Sed quae haec est arrogantia, quod Caesar numquam interpellauit, quin, quibus uellem, atque etiam quos ipse non diligebat, tamen ijs uterer; eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos uelim, diligam? sed non uereor, ne aut meae uitae modestia parum ualitura sit in posterum contra falsos rumores; aut etiam ijs, qui me non amant propter meam in Caesarem constantiam, non malint mei, quam sui similes amicos habere. mihi quidem si optata contingent: quod reliquum est uitae, in otio Rhodi degam. sin casus aliquis interpellarit: ita ero Romae, ut recte fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quod tuum erga me animum, simplicem, atque amicum, aperuit; & quod eum, quem semper dilexi lubenter, quod magis iure colere, atque

a minori ad maius. Caesar permittit ut inimicis suis uteretur: uos non permittitis, ut amem quos uelim?

quae liberacitas erat. ep. 7 lib. 4.

que obseruare deberem, fecit. Bene uale, & me dilige.

ARG. Profecturus in Graeciam, suas res Oppio cōmendat, commemoratis ante beneficijs ab ipso acceptis.

Cicero s. d. M. Oppio. 29

quē ipsum hac de re saepe per litteras consuluit.

qui consilium dat, & prudens fit, & fidus.

C. Caesarem . . . quem etiam secutus est in bello civili.

DUBITANTI mihi, quod scit Atticū noster, de hoc toto consilio profectianis, quod in utramque partem in mentem multa ueniebant, magnum pondus accessit ad tollendum dubitationem iudicium, & consilium tuum. nam & scripsisti aperte, quid tibi uideretur: & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. Semper iudicaui, in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem, maximeq. sum expertus, cum initio ciuili belli per litteras te consuluissem, quid mihi faciendum esse censes, eundem ne ad Pompeium, an manendum in Italia, suafisti, ut consulerem dignitati meae. ex quo, quid sentire, intellexi: & sum admiratus fidem tuam, & in consilio dando religionem; quod, cum aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quam illius uoluntas, fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi: & semper, me a te diligi, sensi: & cum abessem, atque in magnis periculis essem, & me absentem, & meos praesentes a te cultos, & defensos esse memini: & post meum reditum quam familiariter mecum uixeris, quaeq. ego de

de te & senserim, & praedicarim, omnes, qui solent haec animaduertere, testes habemus. Grauiussum uero iudiciū de mea fide, & de constantia fecisti, cum post mortem Caesaris totum te ad amicitiam meam contulisti. quod tuum iudicium nisi mea summa beneuolentia erga te, omnibusq. meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu, mi Oppi, conseruabis amorem tuum, (etsi mōre magis hoc quidem scribo, quam quo te admonendum putem) meaq. omnia tuebere: quae tibi ne ignota essent, Attico mandauit. A me autem, cum paullum otij naēti erimus, uberiores literas exspectato. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

iudicasti, te me fideliter, & constanter esse amatum. quam ego Pompeium, tu Caesarem secutus esses.

uide ep. 17. lib. 12.

CICERONIS EPISTOLARVM,

AD CASSIVM, ET ALIOS,

LIBER XI.

ARGVMENTVM.

Queritur tyranno occiso, tyrannidem tamen non esse sur-
blatam: Calsiumq. hortatur, ut una cum M. Bruto, eius ux-
oris fratre, omni perturbatione temp. liberet.

Cicero s. D. C. Calsio.

INEM nullum facio, mihi crede, Cas-

si de te, & de Bruto nostro, id est de to-

ta rep. cogitandi; cuius omnis spes in vo-

bis est, & in D. Bruto: quam quidem iam ha-

beo ipse meliorem, rep. a Dólabella meo prae-

clarissime gesta. manabat enim illud malum ur-

banum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego

quidem & urbi, & otio diffiderem urbano: sed

ita compressum est, ut mihi uideamur omne iam

ad tempus, ab illo dumtaxat górdidissimo peri-

culo, tuti futuri. reliqua magna sunt, & mul-

ta, sed posita omnia sunt in uobis. quamquam

primum quidque explicemus. nam, ut adhuc

quidem actum est, non regno, sed rege liberati

uidemur. interfecto enim rege, regios omnes nú-

tus tuemur: neque uero id solum, sed etiam, quae

ipse ille, si uiueret, non faceret, ea nos, quasi co-

gitata ab illo, probamus. nec eius quidem rei fi-

nem uideo. tabulae figuntur: immúnitates dantur:

pecuniae maximae describuntur: exsules reducuntur:

tur:

ep. 14. lib 9.
Phil. 1.

quod ab infima
plebe bonis ui-
ris impēdebat.

quae se factu-
rum, leuiter, &
uix significauit

haec omnia cū
faceret consul
Antonius, in
CON MEMARIIS



tur: s. c. falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri, & seruitutis dolor depulsus esse uideatur: resp. iacet in ijs perturbationibus, in quas eam ille coniecit. Haec omnia uobis sunt expedienda: nec hoc cogitandum, satis iam habere reip. a uobis. habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem uenit optare: sed contenta non est; & pro magnitudine & animi, & beneficij uestri a uobis magna desiderat. adhuc ulta suas iniurias est per uos interitu tyranni: nihil amplius: ornamenta uero sua quae recuperauit? an, quod ei mortuo paret, quem uiuum ferre non poterat? cuius aeram refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quae ualent in rep. plurimum: sed immoderate quidam, & ingrata nostra facilitate abutuntur. Verum haec propediem, & multa alia coram. interim uelim sic tibi persuadeas, mihi cum reip. quam semper habui carissimam, tum, amoris nostri causa, maximae curae esse tuam dignitatem. Da operam, ut ualeas.

Caesaris ab eo scripta finge-
bat.

continens pro
 contento. nam
 aereis tabulis
 leges incidenda-
 tur: uide libri
 nostrum de legi-
 bus.
 consul Anto-
 nius, cui scriba
 Caesaris Faber-
 rius obseque-
 batur. App. l. 3.
 de bel. ci.

ARG. Inuehitur in M. Antonii tyrannicam potentiam:
 & reip. statum describit.

Cicero s. d. Cassio.

2

VEHEMENTER laetor tibi probari sen-
 tentiam, & orationem meam. qua si saepius uti
 liceret; nihil esset negotij, libertatem, & reip. si liceret in se-
 recupera- natu libere lo-
 quere a Lio

recuperare . sed homo amens , & perditus , multoq. nequior , nam ille ipse , quem tu nequissimum occisum esse dixisti , caedis initium quaerit : nullamq. aliam causam me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur , nisi ut in me veterani incitentur . quod ego periculum non extimesco , modo facti uestri gloriam cum mea laude communicet . ita nec Pisoni , qui in eum primus inuentus est , nullo assentiente ; nec mihi , qui idem tricesimo post die feci ; nec P. Seruilio , qui me est consecutus , tuto in senatum uenire licet . eadem enim gladiator quaerit , eiusque initium ad XIII . Kal . Oct . a me se facturum putauit . at quam paratus uenerat , cum in uilla Metelli complures dies commentatus esset . quae autem in lustris , & in uino commentatio potuit esse ? itaque omnibus est uisus , ut ad te antea scripsi , suo more uomere , non dicere . Quare quod scribiste confidere , auctoritate , & eloquentia nostra aliquid profici posse : non nihil , ut in tantis malis , est profectum . intelligit enim populus R . tres esse me , Pisonem , consulares , qui quia , quae de rep . bene senserint , Seruiliam . libere locuti sunt , tuto in senatum uenire non possint . nec est praeterea , quod quidquam expectes . tuus enim necessarius auffsitate noua delentur : itaque iam non est studiosus ludorum ; infinitoq. fratris tui plausu dirumpitur . alter item affinis nouis commentarijs Caesari delentus est . Sed haec tolerabilia : illud non ferendum , quod est ,

Philipp. 2.

cuius filia Calpurnia C. Caesari nupserat :

Metelli Scipionis . qui fuerat focer Pompeij . ep . 8 . lib . 8 .

Philip 2.

me , Pisonem , Seruiliam .

Lepidum intelligit . cuius filio filiam tuam Antonius collocarat . Dio l . 44 . non Quincti , sed Lucij , qui hoc anno erat trib . pl . Phil . 1 .



est, qui uestro anno consulem filium suum futurum putet, ob eamq. causam se huic latroni deseruire praeseferat. nam L. Cotta, familiaris meus, fatali quadam desperatione, ut ait, minus in senatum uenit. L. Caesar, optimus, & fortissimus ciuis, ualentudine impeditur. Ser. Sulpicius, & summa auctoritate, & optime sentiens, non adest. reliquos, exceptis designatis, ignosce mihi si non numero consulares. Habes auctores consilij publici. qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset: quid censes, perditis? quare spes est omnis in uobis. qui si iccirco abestis, ut sitis in tuto: ne in uobis quidem. sin aliquid dignum uestra gloria cogitatis: uelim, saluis nobis: sin id minus, res tamen publica per uos breui tempore ius suum recuperebit. Ego tuis neque desum, neque deero: qui siue ad me referent, siue non; mea tibi tamen beneuolentia, fidesq. praestabitur. Vale.

ARG. Et hic in Antonium, eiusq. sectam inuehitur.

Cicero s. D. Cassio.

3

AVGET tuus amicus furorem in dies. primum in Statua, quam posuit in Rostris, inscripsit, PARENTI OPTIME MERITO: ut non modo sicarij, sed iam etiam parricidae iudicemini: quid dico, iudicemini? iudicemur potius: uestri enim pulcherrimi facti ille furiosus me principem dicit fuisse. utinam quidem fuisset: molestus nobis non esset. sed hoc uestrum

FF fuit

ep. 14. lib. 9.

Pansa, & Hirtio, quorum consilio resp. geritur.

id est, ne ante uestrum aduentum opprimamur.

ep. 13. l. 15. ad Att.

sic & Sigonii liber, & meus, & Fulnii alii hoc delendum putarunt.

Antonius.

Brutus & Cassius consilium suum de necando Caesare cum Cicerone non comunicarunt. Plut.

fuit : quod quando praeterijt ; utinam haberem ,
quid darem uobis consilij . sed ne mihi quidem ipsi ,
reperio , quid faciendum sit . Quid enim est ,
quod contra uim sine ui fieri possit ? consilium au-
tem omne hoc est illorum , ut mortem Caesaris
persequantur . itaque ante diem VI . non . Oct .
productus in concionem a Canutio , turpissime ille
quidem discessit , sed tamen ea dixit de conseruato
ribus patriae , quae dici deberent de proditoribus :
de me quidem non dubitauer , quin omnia de meo
consilio & uos fecissetis , & Canutius faceret .
cetera cuiusmodi sint , ex hoc iudica , quod legato
tuo uaticum eripuerunt . quid eos interpretari
putas , cum hoc faciunt ? ad hostem scilicet porta-
ri . o rem miseram : dominum ferre non potuimus ;
conseruo seruimus . & tamen , me quidem fauen-
te magis , quam sperante , etiam nunc residet spes
in uirtute tua . sed ubi sunt copiae ? de reliquo , ma-
lo te ipsum loqui tecum , quam dicta nostra co-
gnoscere . Vale .

tribuno pl. que
postea Octauia
nus occidit .
Dio lib. 48. Vel
leius lib. 2. Sue
tonius i lib. de
claris rhetori-
bus .

saepe cognita,
maxime uero
contra Parthos .
ep. 10. lib. 2 &
ep. 14. lib. 15.

A R G. Varia complectitur haec epistola, de Antonii ne-
quitia, de senatu, de populo, de legatis ad Antonium mis-
sis, de ipso Casio .

Cicero s. d. Casio . 4

ad Caesarē oc-
cidendum , si-
mul enim Anto-
nium occidisse
mus . ep. 28. l. 10

VELLEM idibus Mart. me ad cenam inui-
tasses : reliquiarum nihil fuisset . nunc me reli-
quiae uestrae exercent , & quidem praeter ce-
teros me . quamquam i gregios consules habemus ,
sed turpissimos consulares ; senatum fortem , sed in-
fimo



fimo quemque honore fortissimum; populo uero nihil fortius, nihil melius, Italiaq. uniuersa: nihil autem foedius Philippo, & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi, ut Antonio ex senatus sententia certas res renunciant, cum ille earum rerum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. itaque ad nos concurritur: factiq. iam in re salutari populares sumus. Sed, tu quid ageres, quid acturus, ubi deinceps esses, nesciebam. fama nunciabat te esse in Syria: auctor erat nemo. De Bruto, quo propius est, eo firmiora uidentur esse, quae nunciantur. Dolabella ualde uituperabatur ab hominibus non insulsis, quod tibi tam cito succederet, cum tu uixdum triginta dies in Syria fuisses. itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus et tua, & Bruti est, quod exercitum praeter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem, causamq. nosses: nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum, atque fama. Tuas litteras auide exspecto. Vale.

ep. 8. lib. xi. & Philip. 6. & 13.

alii enim in affligenda rep. populares, ut Clodius, Caesar. M. Bruto.

xvii. legiones eos habuisse, Velleius tradit.

AR G. M. Brutum laudat, ut ad eius imitationem Cassium accendat. addit de bello, quod in Italia contra M. Antonium resp. gerebat.

Cicero s. d. Cassio. 5

H I E M E M credo adhuc prohibuisse, quominus de te certum haberemus, quid ageres, maximeq. ubi esses. loquebantur omnes tamen, cre-

FF 2 do



do quod uolebant, in Syria te esse, habere copias. id autem eo facilius credebatur, quia simile uero uidebatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. res enim tantas gessit, tamque inopinatas, ut eae cum per se gratae essent, tum gratiores propter celeritatem. quod si tu ea tenes, quae putamus: magnis subsidijs fulta resp. est. a primâ enim ora Graeciae usque ad Aegyptum optimorum ciuium imperijs muniti erimus, & copijs. quamquam, nisi me fallebat, res sic se habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum uideretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina; nihil belli reliquum fore uidebatur. paruis omnino iam copijs obsidebatur; quod magno praesidio Bononiam tenebat Antonius. erat autem Claternae noster Hirtiûs, ad Forum Cornelium Caesar, uterque cum firmo exercitu: magnasque Romae Pansa copias ex delictu Italiae comparat. hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi cõsiderate, ut mihi crebris litteris significat, acturus uidebatur. praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam reip. tuos etiam cilietes trãspadanos mirifice cõiunctos cum causa habebamus. erat firmissimus senatus, exceptis cõsularibus: ex quibus unus L. Caesar firmus est, et rectus. Ser. Sulpicij morte magnum praesidium amisimus. reliqui partim inertes, partim probi. non nulli inuident eorum laudi, quos

Plut. in eius
uita.

primam enim
oram Graeciae
Brutus tenebat
Phil. x.

ep. 8, l. xi.

ep. 33, lib. 10.

de Parmensium
caede ab Antonio
facta, Philipp. 14.

ep. antecedenti.
de Sulpicij morte,
Philipp. 8.

quos in rep. probari uident. pōpuli uero R. totiusq. Italiae mira consensus est. Haec erant fere, quae tibi nota esse uellem. nunc autem opto, ut ab istis orientis partibus uirtutis tuae lumen eluceat. Vale.

ARG. Strabonem commendat quasi aliud agens: & in Cassio Brutoq. spem omnem reip. sitam esse dicit, si ad Mutinam res male geratur.

Cicero s. D. Cassio. 6

QUI status rerum fuerit tum, cum has litteras dedi, scire poteris ex C. Tidiō Strabone, uiro bono, & optime de rep. sentiente. nam quid dicam, cupidissimo tui, qui domo, & fortunis relictis, ad te potissimum profectus sit? itaque eum tibi ne commendo quidem. aduentus ipsius ad te satis eum commendabit. Tu uelim sic existimes, tibiq. persuadeas. omne perfugium bonorum in te, & Bruto esse positum, si, quod nolim, aduersi quid euenerit. res, cum haec scribebam, erat in extremum deducta discrimen. Brutus enim Mutinae uix iam sustinebat. qui si conseruatus erit; uicimus: sin; (quod dij omen auertant) omnis omnium cursus est ad uos. proinde fac tantum animum habeas, tantumq. apparatum, quanto opus est ad uniuersam remp. recuperandam. Vale.

ARG. Significat sententiam a se in senatu dictā ex Cassii dignitate, eamq. a se etiam in concione defensam.

Cicero s. D. Cassio. 7

QUANTO studio dignitatem tuam & in
FF 3 senatu,

ep. antecedēti.

unde sol terras illustrat, inde fac, ut eluceat uirtus tua.

fortasse rectius, Titio, nam & Strabo Titiorum cognomē, ut infra, ep. 14. lib. 13 & Titiae gentis mentio frequens, Tidiac nulla.

ominis causa mentionem uirat aduersae fortunae. ep. 12. lib. 16. ad Att. quo in loco uide nostrum cōmentarium.

senatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me, cognoscere. quae mea sententia in senatu facile ualisset, nisi Pansa uebementer obstitisset. ea sententia dicta, productus sum in concionem a tribuno pl. M. Seruilio. dixi de te quae potui, tanta contentione, quantum forum est; tanto clamore, consensuq. populi, ut nihil unquam simile uiderim. id uelim mihi ignoscas, quod inuita socrum tua fecerim. mulier timida uerebatur, ne Pansae animus offenderetur. in concione quidem Pansa dixit, matrem quoque tuam, et fratrem illam a me sententiam noluisse dici. sed me haec non mouebant: alia malebam: fauebam & reip. cui semper faui, & dignitati, ac gloriae tuae. Quod autem et in senatu pluribus uerbis differui, & dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes. promisi enim, & prope confirmauimus, te non exspectasse, nec exspectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more remp. defensurum. & quamquam nihil dum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuerebam, omnes, quae in istis partibus essent, opes, copiasq. tuas esse: per teq. Asiam prouinciam confidebam iam reip. recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipsum uincas. Vale.

ARG. Lepidus uictum Antonium receperat, unaq. bellum administrabant. id queritur Cicero, & Cassium ad liberandam remp hortatur.

Cicero s. D. Cassium.

8

SCELVS affinis tui Lepidi, summamq. leuitatem

Pansa consul.

concione, quibusdam placet.

Seruilia, M. Bruti matre, item Tertiae, Cassii uxoris. uide Suet. in Iulio.

id est, id uelim praestes, & re confirmes.

tecum certes, dixit ep. 2. l. 4.

nam & Lepidi exor erat soror M. Bruti.

lenitatem, & inconstāntiam, ex actis, quae ad te mitti certo scio, cognosse te abitor. ita nos, confecto bello, ut arbitrabamur, renouatum bellum gerimus: spemq. omnem in D. Bruto, & Planco habemus: si uerum quaeris, in te, & in meo Bruto non solum ad praesens perfugium, si, quod nolim, aduersi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuae libertatis. Nos hic de Dolabella audiebāmus, quae uellemus: sed certos auctores non habebamus. te quidem magnum hominem & praesenti iudicio, & reliqui temporis expectatione scito esse. hoc tibi proposito, fac ut ad summa contendas. nihil est tantum, quod non populus R. a te perfici, atque obtineri posse iudicet. Vale.

ARG. Scribit de bello propter Lepidi perfidiam renouato; Cassiumq. hortatur, ut in Italiam properet.

Cicero s. D. Cassio 9

BREUITAS tuarum litterarum me quoque breuiorem in scribendo facit: & uere ut dicam, non satis occurrit, quod scribam. nostras enim res in actis perferri ad te certo scio: tuas autem ignoramus. tamquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, praeter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constantes, sed adhuc sine auctore. Nos confectum bellum cum putarem, repente a Lepido tuo in summam sollicitudinem adducti sumus. itaque persuade tibi, maximam reip. spem in te, & in tuis

FF 4 copijs

cum antea pacē se uelle dixisset ep. 18. l. xi. & hic infra, ep. 10.

ep. 1. ad M. Brutum, si quid offensum sit. oppressum a te esse.

laudat simul & hortatur. quod faciendū utrumque censet ep. 21. lib. 15.

ob affinitatem. ep. antecedenti, & sequenti.

timebat ipsam
uictoriã, suspi-
cans de Octaui-
ano id, quod e-
uenit.

copijs esse. firmos omnino exercitus habemus:
sed tamen, ut omnia, ut spero, prospere procedant,
multum intèrest te uenire. exigua est enim spes
reip. nam nullam non libet dicere: sed, quaecum-
que est, ea despondetur anno consulatus tui. Vale.

ARG. Lepidum hostem iudicatum scribit, & omnino
rem poscere, ut Calsius cum exercitu in Italiam ueniat.

Cicero s. D. Calsio.

10

epist. 8.

de mente dici-
tur, ut hic, &
alibi, de corpo-
re Tusc. 4. de
off. l. 3 & de o-
ptimo genere
orat.

LEPIDVS, tuus^{us} affinis, meus fami-
liaris, pridie Kal. Quint. sententijs omnibus
hostis a senatu iudicatus est, ceteriq. qui una
cum illo a rep. defecerunt; quibus tamen ad
sanitatem redeundi ante Kal. Sept. potestas
facta est. fortis sane senatus, sed maxime spe
subsidiij tui. bellum quidem, cum haec scribe-
bam, sane magnum erat, scelere, & leuita-
te Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quae
uolumus, audimus, sed adhuc sine capite, si-
ne auctore, rumore nuncio. quod cum ita ef-
set, tamen litteris tuis, quas nonis Maij ex
castris datas acceperamus, ita persuasum erat
ciuitati, ut illum iam oppressum omnes arbi-
trarentur, te autem in Italiam uenire cum exer-
citu: ut, si haec ex sententia confecta essent,
consilio, atque auctoritate tua, sin quid forte tui
hâtum esset, ut sit in bello, exercitu tuo nitere-
mur. quem quidem ego exercitum quibuscumque
potero rebus ornabo. cuius rei tum tempus erit,
cum, quid opis reip. laturus exercitus sit, aut
quid

supra, ep. 8.

suspitor abun-
dare, & fuisse

quid iam tulerit, notum esse coeperit. nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi quidem, et praeclarissimi, sed gesta res expectatur: quam quidem aut iam esse aliquam, aut appropinquare confido. tua uirtute, & magnitudine animi nihil est nobilius. itaque optamus, ut quamprimum te in Italia uideamus. remp. nos habere arbitrabimur, si uos habebimus. praeclare uiceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. itaque numquam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. ille enim ex turbulenta rep. hic ex pace, & uictoria bellum excitauit. huic oppositos consules designatos habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed anceps cura propter incertos exitus proeliorum. persuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo esse omnia, uos expectari, Brutum quidem iam iamq. quod si, ut spero, uictis hostibus nostris, ueneritis: tamen auctoritate uestra resp. exsurget, & in aliquo statu tolerabili consistet. sunt enim permulta, quibus erit medendum, etiam si resp. satis esse uidebitur sceleribus hostium liberata. Vale.

A R G. Scribit, a quibus copias acceperit: seq. & remp. commendat. scripta autem haec epistola ante proelium Mutinense.

Cassius procos. s. d. Ciceroni. II

Si uales, bene est: ego quidem ualeo. In Syriam me profectum esse scito ad L. Murem, & Q. Cri-

ex iis, quae glos
semata uocant.

D. Brutum, &
L. Plancum.

propius enim
aberat, Mace-
doniamque, &
Graeciam, ca-
pto C. Anto-
nio, tenebat.
Plut.

Phil. xi.
Dio lib. 47.



inter dissi-
dentibus
ciues.

Phil. xi. & Stra-
bo l. 16
missus a Dola-
bella in Aegy-
ptum. App l. 4.
de bel. ci.

Iosephus de
bello Iudaico.

moliri exitium
improbis ciui-
bus.

Q. Crispum imp. uiri fortes, optimiq. ciues, po-
stea quam audierunt, quae Romae gererentur,
exercitus mihi tradiderunt; ipsiq. mecum una for-
tissimo animo remp. administrant. item legionem,
qua Q. Caecilius Bassus habuit, ad me uenisse sci-
to. quattuorq. legiones, quas A. Allienus ex Ae-
gypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc
te cohortatione non puto indigere, ut nos absen-
tes, remq. publicam, quantum opus est, defen-
das. scire te uolo, firma praesidia uobis, sena-
tuiq. non deesse; ut optima spe, & maximo ani-
mo remp. defendas. reliqua tecum aget L. Carte-
ius, familiaris meus. Vale. Data nonis Mart.
ex castris, Târicheis.

ARG. Facta mentione beneuolentiae Ciceronis erga se,
suam dignitatem suosq. milites commendat; seq. & illos
optime de rep. meritos affirmat.

Cassius procos s. d. Ciceroni. 12

SI uales, bene est: ego quidem ualeo. Legi
tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me
amorem recognoui. uidebaris enim non solum fa-
uere nobis, id quod & nostra, & reip. causa
semper fecisti; sed etiam grauem curam suscepis-
se, uehementerq. esse de nobis sollicitus. itaque,
quod te primum existimare putabam, nos, op-
pressa rep. quiescere non posse; deinde, cum su-
spicarerere nos moliri quod te, sollicitum esse & de
salute nostra, & de rerum euentu putabam: si-
mul ac legiones accepi, quas A. Allienus edu-
xerat

xerat ex Aegypto, scripsi ad te, tabellariosq. complures Romam misi. scripsi etiam ad senatum litteras, quas reddi uetui prius, quam tibi recitatae essent; si forte mei obtemperare mihi uoluerunt. quod si litterae perlatae non sunt; non dubito, quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio occiso, Asiam occupauit, tabellarios meos deprehenderit, litterasq. interceperit. exercitus omnes, qui in Syriae fuere, teneo. habui paullulum morae, dum promissa militibus persoluo. nunc iam sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam tibi commendatam habeas: si me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriae denegasse: si contra importunissimos latrones arma cepi, te hortante, & auctore: si non solum exercitum ad remp. libertatemq. defendendam comparauit, sed etiam crudelissimis tyrannis eripui: quem si occupasset Dolabella; non solum aduentu, sed etiam opinione, & expectatione exercitus sui Antonium confirmasset. quas ob res milites tuere, si eos mirifice de rep. meritos esse animaduertis: & effice, ne quem paeniteat, remp. quam spem praedae, & rapinarum, sequi maluisse. item Murci, & Crispi imp. dignitatem, quantum est in te, tuere. nam Bassus miseré noluit mihi legionem tradere. quod nisi milites inuito eo legatos ad me misissent; clausam Apameam tenuisset, quoad ui esset expugnata. Haec a te peto non solum reip. quae tibi
semper

ubi Caesar eos collocauerat, cum de Parthico bello cogitaret.

curae tibi sint eorum commoda. infra, hac ipsa epistola.

de Caecilio Basso Strabo l. 16. quod eam laudem, ac felicitatem, quae in reip. tuenda posita est, ignoraret.

semper fuit carissima, sed etiam amicitiae nostrae nomine, quam confido apud te plurimum posse. crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, senatus, atque optimi cuiusque esse, maximeque tuum: de cuius uoluntate assidue audiendo, mirifice te diligit. carumque habet: qui si intellexerit commoda sua curae tibi esse; debere etiam se tibi omnia putabit. Litteris scriptis, audiui Dolabellam in Ciliciam uenisse cum suis copijs. proficiscar in Ciliciam. quid egerim, celeriter ut scias, dabo operam. ac uelim, ut meremur de rep. sic felices simus. Fac ualeas, meque ames. Nonis Maij, ex castris.

A R G. Gratulatur de uictoria Mutinensi; & res a se gestas enumerat.

Cassius s. D. Ciceroni. 13

SI uales, bene est: ego quidem ualeo. cum reip. uel salute, uel uictoria gaudemus: tum instauratione tuarum laudum, quod maximus consularis maximum consulem te ipse uicisti, & laetamur, & mirari satis non possumus. fatale nescio quid tuae uirtuti datum: id quod iam saepe experti sumus. est enim tua toga omnium armis felicior, quae nunc quoque nobis paene uictam remp. ex manibus hostium eripuit, ac reddidit. nunc ergo uiuemus liberi: nunc te, omnium maxime ciuis, et mihi carissime, id quod maxime reip. tenēbris comperisti, nunc te habebimus testem nostri & in te, & in coniunctissimam tibi remp. amoris:

rogatus enim
Cicero, non ar-
matus, reip.
profuit. ep 4.
lib. 15.

cum Caesar o-
mnia teneret.

amoris: & quae saepe pollicitus es te & taciturnum, dum seruiremus, & dicturum de me tum, cum profutura essent; nunc illa non ego quidem dici tantopere desiderabo, quam sentiri a te ipso. neque enim omnium iudicio malim me a te commendari, quam ipse tuo iudicio digne, ac mereor, commendatus esse: ut haec nouissima nostra facta non subita, nec incōnvenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices; meq. ad optimam spem patriae non minimū tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi, M. Tullii, liberi, propinqui. digni quidem te, & merito tibi carissimi: esse etiam debent in rep. proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt aemuli: quorum esse cupio tibi copiam: sed tamen non maxima me turba pūto excludi, quo minus tibi uacet me excipere, & ad omnia, quae uelis, et probes, producere. animum tibi nostrum sortasse probauimus: ingenium certe diutina seruitus, qualecumque est, minus tamen, quam erat, passa est uideri. Nos ex ora maritima Asiae prouinciae, & ex insulis quas potuimus naues deduximus. delectum remigum, magna contūmacia ciuitatum, tamen satis celeriter habuimus. secuti sumus classem Dolabellae, cui Lucilius praeerat: qui, spem saepe transitionis praebendo, neque umquam non decedendo, nouissime Corycum se contulit, & clauso portu se tenere coepit. nos, illa relicta, quod & in castra peruenire satius esse

uide scholium
nostrum in ex-
tremo lib.

non puto mul-
tos a te mihi
in amore ante-
poni.

cum obstinate
recusarent.

Cimbro ab se-
nato attributa,
Plut. in Bruto.

alius Cassius, is
scilicet, qui
Caesarem occi-
derat.

Paltus opidum
Laodiceae pro-
pinquum Stra-
bo lib. 16.

ep. xi. l. 2. & 6.
18. & 15. h. l.

Spintheris fili-
us a Torquato
adoptatus. Dio
lib. 39.

se putabamus; & sequebatur classis altera, quam
anno priore in Bithyniâ Tillius Cimber compa-
rarat, cui Turulius quaestor praeerat; Cyprum
petiuimus. ibi, quae cognouimus, scribere ad
uos quam celerrime uoluimus. Dolabellam ut Tar-
senses pessimi socij, ita Laodicensi multo amentio-
res ultro accersierunt. ex quibus utrisque ciuita-
tibus, Graecorum militum numero, speciem exer-
citus effecit. castra habet ante opidum Laodiceam
posita, & partem muri demolitus est; & castra
opido coniunxit. Cassius noster cum decem legio-
nibus, & cohortibus uiginti auxiliarijs, & quat-
tuor millibus equitum a millibus passuum uigin-
ti castra habet posita Παλτοῖ; & existimat se
sine proelio posse uincere. nam iam ternis tetra-
drachmis triticum penes Dolabellam est. nisi quid
nauius Laodicensorum supportarit; cito fame
pereat, necesse est: ne supportare possit, & Cas-
sij classis bene magna, cui praeest Sextilius Ru-
fus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turu-
lius, & Patischus, facile praestabunt. uolo igitur
uos bene sperare; & remp. ut uos istic expe-
distis, ita pro nostra parte celeriter nobis expe-
diri posse, confidere. Vale. Data idibus Iun.
Cypro Acromaniacride.

A R G. Exponit res a se gestas; Rhodios accusat; procura-
tionem Asiae petit; merita sua in remp. commemorat.

Lentulus s. o. Ciceroni suo. 14

C V M Brutum nostrum conuenissem; eumq.
tardius

tardius in *Asiam* uenturum animaduverterem; in
Asiam redij, ut reliquias mei laboris colligerem,
 & pecuniam quamprimum *Romam* mitterem.
 interim cognoui in *Lycia* esse classem *Dolabellae*,
 amplius quam centum naues onerarias, in quas
 exercitus eius imponi posset; idq. *Dolabellam* ea
 mente comparasse, ut, si *Syriae* spes eum fru-
 strata esset, conscenderet in naues, & *Italiam* pe-
 teret, seq. cum *Antonijs*, & reliquis latronibus
 cõiungeret. cuius rei tanto in timore fui, ut, omni-
 bus rebus relictis, cum paucioribus, & minori-
 bus nauibus ad illas ire conatus sim. quae res,
 si a *Rhodijs* non essem interpellatus, fortasse to-
 ta sublata esset: tamen magna ex parte profligata
 est: quandoquidem classis dissipata est: ad-
 uentus nostri timore milites, ducesq. effugerunt:
 onerariae omnes ad unam a nobis sunt exce-
 ptae. certe, quod maxime timui, uideor esse
 consecutus, ut non possit classe *Dolabella* in *Ita-*
liam peruenire, nec socijs suis firmatis, durius
 uobis efficere negotium. *Rhodijs* nos, & *remp.*
 quam ualde desperauerint, ex litteris, quas pu-
 blice misi, cognosces. & quidem multo parcius
 scripsi, quam re uera furere eos inueni. quod ue-
 ro aliquid de his scripsi, mirari noli: mira est
 eorum amentia. nec me meae ullae priuatim iniu-
 riae mōuerunt umquam, malus animus eorum
 in nostra salute, cupiditas partium aliarum, per-
 seuerantia in contēptione optimi cuiusque feren-
 da

Cassio eam te-
 nente. supra,
 epist. 5.

hoc uerbū non
 est in antiquis
 libris.

Caesar lib. 3.
comm. de bello
ciuili.

Spem compro-
bavit euentus.
Velleius lib. 2.
& alii.

da mihi non fuit . nec tamen omnes perditos esse
puto . sed ydem illi , qui tum fugientem patrem
meum , qui L. Lentulum , qui Pompeium , qui
ceteros uiros clarissimos non receperunt ; ydem ,
tamquam aliquo fato , & nunc aut magistratum
gerunt , aut eos , qui sunt in magistratu , in sua
habent potestate . itaque eadem superbia in pra-
uitate utuntur . quorum improbitatem aliquan-
do retundi , & non pati impunitate augeri , non
solum utile est reip. nostrae , sed etiam necessa-
rium . De nostra dignitate uelim tibi ut semper
curae sit ; & , quocumque tempore occasionem
habueris , & in senatu , & in ceteris rebus lau-
di nostrae suffragere . Quoniam consulibus de-
creta est Asia ; & permissum est ijs , ut , dum ipsi
uenirent , darent negotium , qui Asiam obtineant :
rogo te , petas ab ijs , ut hanc dignitatem potis-
simum nobis tribuant ; & mihi dent negotium ,
ut Asiam obtineam , dum ipsorum alteruter ue-
nit . nam , quod huc properent in magistratu ue-
nire , aut exercitum mittere , causam non ha-
bent . Dolabella enim in Syria est ; & , ut tu diui-
na tua mente perspexisti , & praedicasti , dum isti
uenient , Cassius eum opprimet . exclusus enim
ab Antiochia Dolabella , & in oppugnando male
acceptus , nulla alia confisus urbe , Laodiceam
quae est in Syria ad mare , se contulit . ibi spero ce-
leriter eum poenas daturum . nam neque , quo re-
fugiat , habet : neque diutius ibi poterit tantum
exerci-

exercitum Cassii sustinere. spero etiam confectum ^{decem legio-}
 esse iam, & oppressum; quare non puto Pansam, ^{nes,}
 & Hirtium in consulatu properaturos in provin-
 cias exire, sed Romae acturos consulatum. ita-
 que, si ab his petieris, ut interea nobis procura-
 tionem Asiae dent; spero te posse impetrare. prae-
 terea mihi promiserunt Pansa & Hirtius coram,
 & absenti mihi scripserunt, Verriusq. nostro Pan-
 sa affirmavit, se daturum operam, ne in suo con-
 sulatu mihi succedatur. ego porro non medius fi-
 dius cupiditate provinciae produci longius spa-
 tium mihi uolo. nam mihi fuit provincia ple-
 na laboris, periculi, detrimenti. quae ego ne fru-
 stra subierim, ne ue prius, quam reliquias meae
 diligentiae consequar, decedere cogar, ualde la-
 boro. nam, si potuissim, quam exegeram, pecu-
 niam uniuersam mittere; postularem, ut mihi suc-
 cederetur. nunc, quod Cassio dedi, quod Trebo-
 nij morte amisimus, quod etiam crudelitate Dola-
 bellae, aut perfidia eorum, qui mihi fidem, rei q.
 pub. non praestiterunt, id consequi, & refice- ^{ep. 7. lib. 1.}
 re uolo. quod aliter non potest fieri, nisi spatium
 habuero. id ut per te consequar, uelim, ut so-
 let, tibi curae sit. ego me de rep. ita puto esse
 meritum, ut non provinciae istius beneficium
 expectare debeam, sed tantum, quantum Cas-
 sius, & Bruti, non solum illius facti, pericu- ^{cum Caesarem}
 liq. societate, sed etiam huius temporis studio, & ^{occidimus.}
 uirtute. primus enim ego leges Antonianas fre- ^{Plut. in Caesa-}
 te.

gi : primus equitatum Dolabellae ad remp. tra-
duxi , Cassioq. tradidi : primus delectus habui
pro salute omnium contra coniurationem scele-
ratissimam : solus Cassio , & reip. Syriam , exer-
citusque , qui ibi erant , coniunxi . nam , nisi ego
tantam pecuniam , tantaq. praesidia , & tam
celeriter Cassio dedissem ; ne ausus quidem esset
ire in Syriam ; & nunc non minora pericula
reip. a Dolabella instarent , quam ab Antonio .
atque haec omnia is feci , qui & sodalis , & fa-
miliarissimus Dolabellae eram , coniunctissimus
sanguine Antoniis : provinciam quoque illorum
beneficio habebam : sed πατρίδα ἐμὴν μάλιστα
φιλῶν , omnibus meis bellum primus indixi . haec
etsi adhuc non magnopere mihi tulisse fructum
animaduerto : tamen non despero , nec defati-
gabor permanere non solum in studio liberta-
tis , sed etiam in labore , & periculis . attamen ,
si etiam aliqua gloria iusta , & merita
pronocabimur , senatus , & optimi cuiusque of-
ficijs ; maiore cum auctoritate apud ceteros eri-
mus , & eo plus prodesse reip. poterimus . Fi-
lium tuum , ad Brutum cum ueni , uidere non
potui , ideo quod iam in hiberna cum equitibus
erat profectus : sed medijsfidius , ea esse eum
opinionem , & tua , & ipsius , & in primis mea
caussa gaudeo . fratris enim loco mihi est , qui ex
te natus , teq. dignus est . Vale . Data IV.
Kal. Iun. Pergae .

quod eam Len-
tulo a Caesare
impetrassent .
integrum senarium
Plut. recitat
ἐ τῷ πολιτι-
κῶν .

non usitata lo-
cutio . quis enim
praeterea defa-
tigor cum infi-
nitio coniun-
xit ?

ita animatum
esse erga remp.



A GR. Hic quoque res a se gestas exponit, inuehitur in Rhodios, de Dolabella optabilia nunciat.

Lentulus P. F. proquaes. propraet. s. D.
cos. praet. trib. pl. senatui,
populo, plebiq. R. 15.

SI ualetis, liberiq. uestri ualent, bene est: ego quoque ualeo. Scelere Dolabellae oppressa Asia, in proximam prouinciam Macedoniam, praesidiaq. reip. quae M. Brutus, uir clarissimus, tenebat, me contuli; & id egi, ut, per quos celerrime posset, Asia prouincia, uectigaliaq. in uestram potestatem redigerentur. quod cum pertinuisset Dolabella; & uastata prouincia, correptis uectigalibus, praecipue ciuibus Romanis omnibus crudelissime denudatis, ac diuenditis, celerius Asia excessisset, quam eo praesidium adduci potuisset: diutius morari, aut exspectare praesidium non necesse habui; & quamprimum ad meum officium reuertendum mihi esse existimaui: ut et reliqua uectigalia exigerem; & quam deposui, pecuniam colligerem; quidquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quamprimum, et uos de omni re facerem certiores. Interim, cum per insulas in Asia nauiganti mihi nunciatum esset, classem Dolabellae in Lycia esse, Rhodiosq. naues complures instructas, et paratas in aqua habere: cum ijs nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiscus proquaes. homo mihi cum fami-

Smyrna capta,
Trebonioq. caso supra, ep. 12.
& epist. antecedenti.

GG 2 liaritate

hoc in omnibus
foederibus ob-
seruatum ani-
maduertit.

sic est in duobus
Sigonii libris, in in meo,
amphorum.

liaritate, tum etiam sensibus in rep. coniunctissi-
mus, Rhodum reuerti, confusus auctoritate uestra,
senatusq. consulto, quo hostem Dolabellam iudica-
ratis, foedere quoque, quod cum ijs M. Marcello,
Ser. Sulpicio cos. renouatum erat; quo iurauerant
Rhodij, eosdem hostes se habituros, quos senatus,
populusq. R. quae res nos uehementer fefellit.
tantum enim absuit, ut illorum praesidio nostram
firmaremus classem, ut etiam a Rhodijs urbe, por-
tu, statione; quae extra urbem est, com metu,
aqua denique prohiberentur nostri milites, nos
uix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemur.
quam indignitatem, deminutionemq. maiestatis
non solum iuris nostri, sed etiam imperij, popu-
liq. R. iccirco tulimus, quod, interceptis litte-
ris, cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Sy-
ria, Aegyptoque, quod necesse erat fieri, in na-
ues cum omnibus suis latronibus, atque omni pe-
cunia conscendere esse paratum, Italiamq. pete-
re; iccirco etiam naues onerarias, quarum minor
nulla erat duum millium amphorarum, contra-
ctas in Lycia a classe eius obsideri. Huius rei ti-
more P. C. percitus, iniurias perpeti, et cum con-
tumelia etiam nostra omnia prius experiri ma-
lui. itaque ad illorum uoluntatem introductus
in urbem, & in senatum eorum, quam dili-
gentissime potui, causam reip. egi; periculumq.
omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus
suis res conscendisset, exposui. Rhodios autem
tanta

tanta in prauitate animaduerti; ut omnes firmiores putarent, quam bonos; ut hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propense non crederent esse factam; ut patientiam senatus, & optimi cuiusque manere etiam nunc considerent, nec potuisse audere quemquam Dolabellam hostem iudicare; ut denique omnia, quae improbi fingebant, magis uera existimarent, quam quae uere facta erant, & a nobis docebantur. qua mente etiam ante nostrum aduentum, post Trebonij indignissimam caedem, ceteraq. tot, tamq. nefaria facinora, binnae profectae erant ad Dolabellam legiones eorum, & quidem nouo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus ijs, qui tum magistratus gerebant. haec siue timore, ut dictitant, de agris, quos in continenti habent, siue furore, siue potentia paucorum, qui & antea pari contumelia uiros clarissimos affecerant, & nunc maximos magistratus gerentes: nullo exemplo, neque uestra ex parte, neque nostro praesentium, neque imminenti Italiae, urbiq. nostrae periculo, si ille parricida cum suis latronibus nauibus, ex Asia, Syriaq. expulsus, Italiam petisset, mederi, cum facile possent, uoluerunt. nonnullis etiam ipsi magistratus ueniebant in suspicionem, detinuisse nos, et demorati esse, dum classis Dolabellae certior fieret de aduentu nostro. qua suspicionem consecutae res aliquot auxerunt, maxime quod subito

cum Læculum,
& Pompeium
non receperunt,
supra, ep. 14.

ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius, legati Dolabellae a classe discesserunt, nauisq. longa profugerunt, onerarijs relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisq. consumpserunt. itaque, cum Rhodo cum ijs, quas habueramus, nauibus in Lyciam uenisset, naues onerarias recepimus, dominisq. restituimus: iisdemque, quod maxime uerebatur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam uenire, timere desimus: classem fugientem persecuti sumus usque ad Sydam: quae extrema regio est prouinciae meae. ibi cognoui partem nauium Dolabellae diffugisse, reliquas Syriam, Cypriumq. petisse. quibus disiectis, cum socrem C. Cassii, singularis ciuis, & ducis, classem maximam fore praesto in Syria, ad meum officium reuerti: daboq. operam, ut meum studium, & diligentiam uobis P. C. et reip. praestem, pecuniamque, quam maximam potero, & quam celerrime, cogam, omnibusq. cum rationibus ad uos mittam. si percurrero prouinciam; & cognouerim, qui uobis, et reip. fidem praestiterunt in conseruanda pecunia a me deposita; quique scelere, ultro deferentes pecuniam publicam, hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt; faciam uos certiores. de quibus, si uobis uidebitur, si, ut meriti sunt, grauius constitueritis; nosq. uestra auctoritate firmaueritis: facilius & reliqua exigere uelidigata, et exacta seruare poterimus. interea,

nō licebat prouinciae finibus egredi.

terea, quo commodius uectigalia tueri, prouin-
 ciamq. ab iniuria defendere possim, praesidium
 necessarium, uoluntariumq. comparauim. His lit-
 teris scriptis, milites circiter xxx, quos Dola-
 bella ex Asia conscripserat, Syria fugientes in-
 Pamphyliam uenerunt. hi nunciauerunt, Dola-
 bellam Antiochiam, quae in Syria est, uenisse,
 non receptum: conatum esse aliquoties ui introi-
 re, repulsum semper esse cum magno suo detri-
 mento: itaque, centum circiter amissis, aegrisq.
 compluribus relictis, noctu Antiochia profugif-
 se Laodiceam uersus: ea nocte omnes fere Asiati-
 cos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos
 Antiochiam redisse, & se ijs tradidisse, qui a
 Cassio relictis, urbi illi praecerant: ceteros per
 Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex nume-
 ro se quoque esse dicebant: Cassium autem cum
 suis omnibus copijs, nunciatum esse, quatruidui
 iter a Laodicea absuisse tum, cum Dolabella eo ten-
 deret. quamobrem opinione celerius, confido, ep 31. lib. 10.
 sceleratissimum latronem poenas daturum. I V.
 non. Iun. Pergae.

ARG. Gratulatur de Ciceronis filii indole ad uirtutem;
 uersus, in malum ciuem a se conscriptos, mittit: petit, ut
 includatur in Ciceronis scripta de Caesaris interitu.

C. Trebonius s. d. Ciceroni 16

SI uales, bene est. Athenas ueni ad XI.
 Kal. Iun. atque ibi, quod maxime optabam, ui-
 di filium tuum, deditum optimis studijs, summaq.

GG 4 mcode

modestiae fama . qua ex re quantam uoluptatem ceperim , scire potes etiam me tacente . non enim nescis , quanti te faciam , & quam pro nostro uerissimo , uerissimoq. amore omnibus tuis etiam minimis commodis , non modo tanto bono , gaudeam . Noli putare , mi Cicero , me hoc auribus tuis dare . nihil adolescente tuo , atque adeo nostro , (nihil enim mihi a te potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus ijs , qui Athenis sunt , est , aut studiosius earum artium , quas tu maxime amas , hoc est optimarum . itaque tibi , quod uere facere possum , libenter quoque gratulor , nec minus etiam nobis ; quod cum , quem necesse erat diligere , qualiscumque esset , talem habemus , ut libenter quoque diligamus . qui cum mihi in sermone iniecisset , se uelle Asiam uisere ; non modo inuitatus , sed etiam rogatus est a me , ut id potissimum , nobis obtinentibus prouinciam , faceret . cui nos & caritate , & amore tuum officium praestatueros , non debes dubitare . illud quoque erit nobis curae , ut Cratippus una cum eo sit ; ne putes in Asia feriatum illum ab ijs studijs , in quae tua cohortatione incitatur , futurum . nam illum paratum , ut uideo , & ingressum pleno gradu , cohortari non intermitteremus , quo in dies longius , discendo , exercendoq. se , procedat . Vos quid ageretis in rep. cum has litteras dabam , non sciebam . audiebam quaedam turbulenta : quae scilicet cupio esse falsa : ut aliquando otiosa liber-

Peripatetica doctrina clarus ep. 21. lib. 16 de off. 1 & 3.

uide Vegetium de pleno gradu militum, lib. 1. c. 9 & Sallustiu in Lug. 76.



libertate fruamur: quod uel minime adhuc mihi contigit. ego tamen, nactus in navigatione nostra pausillum laxamēti, concinnaui tibi munusculum ex instituto meo; & dictum cum magno nostro honore a te dictum, conclusi, & tibi infra subscripsi. in quibus uersiculis si tibi quibusdam uerbis & *ὑπερβουέσ* epos uidebor: turpitude personae eius, in quam liberius inuehimur, nos uindicabit. ignosces etiam iracundiae nostrae, quae iusta est in eiusmodi & homines, & ciues. deinde, qui magis hoc *Λύκιλι* licuerit assumere libertatis, quam nobis? cum, etiam si odio par fuerit in eos, quos laesit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quo tanta libertate uerborum incurreret. Tu, sicut mihi pollicitus es, adiunges me quamprimum ad tuos sermones. namque illud non dubito, quin, si quid de intēritu Caesaris scribas, non patiaris me minimam partem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meosq. tibi commendatos habe. D. VIII. Kal. Iun. Athenis.

satyrarum scriptori.

fuit enim Trebonius unus ex percussoribus Caesaris.

ARG. Varia scribit, de rumoribus e Syria allatis, de ciuitatis orio, de Oratore a se scripto, de suo studio in Cornificium. is autem Syriam regebat, ut infra patet.

Cicero s. D. Q. Cornificio collegae. 17

collegae Ciceronis in auguratu.

GRATA mihi uehementer est memoria nostri tua, quam significasti litteris: quam ut conserues, non quo de tua constantia dubitem, sed, quia mōs est ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tu multuosiora quaedam nunciata sunt: quae, quia tibi

uide idem ep. 29. lib. XI.

correctionem
reip. Caesar co-
gitavit.

scripsit Corni-
ficius de arte
rethorica. Qui
deil. I. 3. & al-
bi.

tibi sunt propiora, quam nobis, tua me caussa
magis mouent, quam mea. Rommae summum
otium est, sed ita, ut malis salubre aliquod, &
honestum negotium: quod spero fore, quia uideo
id curae esse Caesari. Me scito, dum tu absis,
quasi occasionem quandam, & licentiam na-
ctum, scribere audacius, & cetera quidem for-
tasse, quae etiam tu concederes: sed proxime scri-
psi de optimo genere dicendi: in quo saepe suspi-
catus sum te a iudicio nostro, sic scilicet, ut do-
ctum hominem a non indocto, paullulum dissi-
dere. huic tu libro maxime uelim ex animo, si mi-
nus, gratiae caussa suffragere. dicam tuis, ut
eum, si uelint, describant, ad teq. mitant. pu-
to enim, etiamsi rem minus probabis, tamen in
ista solitudine, quidquid a me profectum sit, iu-
cundum tibi fore. Quod mihi existimationem
tuam, dignitatemq. commendas: facis tu qui-
dem omnium more: sed uelim sic existimes, me
cum amori, quem inter nos mutuum esse intelli-
gam, plurimum tribuere, tum de summo inge-
nio, & de optimis tuis studijs, & de spe amplis-
sima dignitatis ita iudicare, ut neminem tibi an-
teponam, comparem paucos. Vale.

ARG Purgat se de infrequentia litterarum: prudentiam
Cornificii, grauitatemq. laudat: praesentem reip. Itacum
accusat, cum Caesaris excusatione.

Cicero s. d. Cornificio collegae. 18

QVOD extremum fuit in epistola, quam a
te

te proxime accepi, ad id primum respondebo. animaduerti enim hoc uos magnos oratores facere nonnumquam. Epistolas requiris meas. ego autem numquam cum mihi denunciatum esset a tuis ire aliquem, non dedi. Quod mihi uideor ex tuis litteris intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec ante, quam scisses, quo iste nescio qui Caecilius Bassus erumperet, quidquam certi constituturum: id ego & speraram prudentia tua fretus; & ut considerem, fecerunt tuae grauissimae litterae. idq. ut facias quam saepissime, ut, & quid tu agas, & quid agatur, scire possim, & etiam quid adurus sis, ualde te rogo. Etsi periniquo patiebar animo te a me digredi: tamen eo tempore me consolabar, quod & in summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs discedere. utrumque contra accidit. istic enim bellum est extortum, hic pax consecuta, sed eiusmodi pax, in qua, si adesses, multa te non delectarent, ea tamen, quae ne ipsum Caesarem quidem delectent. **BELLORVM** enim ciuiliu[m] is semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quae uelit uictor, sed etiam ut is mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta sit uictoria. equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo uiderem T. Plancum, aut direm Laberij, & Publij poemata. nihil tam deesse scito, quam quicum haec familiariter, docteq. rideam. is tu eris, si quamprimum ueneris.

quod

Dio lib. 47. &
Strabo l. 16.

Dio lib. 47.

Plancum Bur-
sam, a Caesare
restitutum. ep.
2. lib. 7.

quod ut facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror. Vale.

A R G. Gratulatur de Syriae administratione; eamque optat a bello uacuum; quod si bellum sit, consulit quid agendum.

Cicero s. D. Cornificio. 19

LIBENTISSIME legi tuas litteras: in quibus iucundissimum mihi fuit, quod cognoui meas tibi redditas esse. non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus esses: uerebar, ut redderentur. Bellum, quod est in Syria, Syriamque provinciam tibi tributam esse a Caesare, ex tuis litteris cognoui. eandem rem tibi uolo bene, & feliciter euenire. quod ita fore confido, fretus & industria, & prudentia tua. Sed de Parthici belli suspitione quod scribis, sane me commouit. quantum copiarum haberes, cum ipse coniectura consequi poteram, tum ex tuis litteris cognoui. itaque opto, ne se illa gens moueat hoc tempore, dum ad te legiones eae perducantur, quas audio duci. quod si pares copias ad confligendum non habebis; non te fugiet uti consilio M. Bibuli, qui se opido munitissimo, & copiosissimo tam diu tenuit, quam diu in provincia Parthi fuerunt. Sed haec melius ex re, et ex tempore constitues. mihi quidem usque curae erit, quid agas, dum, quid egeris sciero. Litteras ad te numquam habui cui darem, quin dederim. a te, ut idem facias, peto, in primisque, ut ita ad tuos scribas, ut me tuum sciant esse. Vale.

qui, dum ullus hospes in Syria fuit, pedem porta non extulit. ad Att. lib. ep. 8.

A R G.

ARG. Iecatur, quia Cornificius Sinuessanae uillae hospicio uti noluerat; & crebas ab eo litteras petit.

Cicero s. D. Cornificio collegae. 20

GRATAE mihi tuae litterae, nisi quod Sinuessanum diuersoriorum contempsisti, quam quidem contumeliam uilla pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano, & Pompeiano reddideris πάντα περί πάντων. sic igitur facies; meq. amabis, & scripto aliquo laceesses. ego enim respondere facilius possum, quam prouocare. quod si, ut es, cessabis: laceessam; nec tua ignauia etiam inertiam afferet. Plura otiosus, haec, cum essem in senatu, exaravi. Vale.

codem modo locutus est ep. 17 lib. 15.

quae tu a consuetudo est. ep. 10 lib. 8.

ARG. Commendat Anicium senatorem, eiusq. negotia, & dignitatem.

Cicero s. D. Cornificio. 21

C. ANICIUS, familiaris meus, uir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causa legatus est in Africam, legatione libera. eum, uelim, rebus omnibus adiuues: operamq. des, ut quam commodissime sua negotia conficiat. in primisque, quod ei carissimum est, dignitatem eius tibi commendo: idq. a te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem, acceperam, & cognoueram, a summis uiris factitatum. hoc igitur mi Cornifici facies: ceterisq. rebus omnibus eius dignitati, rei que, si me amas, consules. id erit mihi gratissimum. Da operam, ut ualeas.

quae senatoribus ad sua negotia proficiscens concedebatur. ad Att. lib. 2 ep. 18 & ep. 12 lib. 15.

ARG.



ARG. Narrat de statu reip. post Caesaris mortem; horaturq. Cornificium, ut prouinciam retineat in potestate reip.

Cicero s. D. Cornificio.

22

collega in auguratu Phi. 2. ad Att. & hic ep. 14 lib. 8.

Brutus in Graecia, Cassius in Syria. Philipp. 14.

in tuenda libertate.

infra, ep. 25.

ne ualidior fieret Antonius, prouinciam uas aliquam.

Nos hic cum homine gladiatore, omnium nequissimo, collega nostro, Antonio bellum gerimus, sed non pari condicione, contra arma uerbis. at etiam de te concionatur: nec impune: nam sentiet quos lacefferit. ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab alijs: a me futura debes cognoscere: quorum quidem non est difficilis coniectura. Oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni. nostri τῶν παρρωχτόροι longe gentium absunt. Pansa & sentit bene, & loquitur fortiter. Hirtius noster tardius conualefcit. quid futurum sit, plane nescio. spes tamen una est, aliquando populum R. maiorum similem fore. ego certe reip. non deero: & quidquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram. illud profecto, quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. Ad x i i i. Kal. Ian. senatus frequens mihi est assensus cum de ceteris rebus magnis, & necessarijs, tum de prouincijs ab ijs, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex s. C. successisset. hoc ego cum reip. causa censui, tum mehercule in primis retinendae dignitatis tuae. quamobrem te amoris nostri causa rogo, reip. causa hortor, ut ne cui quidquam iuris in tua prouincia esse patiare, atque ut omnia referas ad dignitatem; qua nihil potest esse

esse praestantius. Vere tecum agam, ut necessitudo nostra postulat: in Sempronio, si meis litteris obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. sed illud & praeterijt, & lenius est: haec magna res est. fac ut provinciam retineas in potestate reip. Plura scripsissem, nisi tui festinarent: itaque Cherippo nostro me uelim excuses. Vale.

quod ei non
rescribo.

A. R. G. Primum respondet ad ea, quae de provincia Cornificij a Stratorio cognouerat: deinde quasi formam reip. mittit: & philosophiam laudat.

Cicero s. D. Cornificio. 23

OMNEM condicionem imperij tui, statumque provinciae mihi demonstravit Stratorius. o multa intolerabilia locis omnibus. sed, quo tua maior dignitas, eo, quae tibi acciderunt, minus ferenda. neque enim, quae tu propter magnitudinem & animi, & ingenij moderate fers, a te non ulciscenda sunt, etiam si non sunt dolenda. Sed haec posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. quod ni ita putarem, ipse perscriberem, in primisq. Caesaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. prudentes autem, & boni uiri & credunt factum, & probant. quid quaeris? magna spes est in eo. nihil est, quod non existimetur laudis, & gloriae causa facturus. Antonius autem, noster familiaris, tanto se odio esse intelligit,
ut,

puto, Statorius, ex Festo in
Lacus Lucretius.

Velleius lib. 2.
Plut. Suet. Dio,
Seneca lib. 1.
de clementia.
credunt Octavianum
infidias Antonio
struxisse.

ut, cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. Ad VII. id. Oct. Brundisium uenerat, profectus obuiam legionibus Macédonicis quattuor: quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easq. ad urbem adducere, & in ceruicibus nostris collocare. Habes formam reip. si in castris potest esse resp. in qua tuam uicem saepe doleo, quod nullam partem per aetatem sanae & saluae reip. gustare potuisti. atque antehac quidem sperare salutem licebat; nunc etiam illud ereptum est. quae enim spes est, cum in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos locum sibi quaerere, quibus, se saluo, locus in ciuitate esse non posset? Equidem et haec, & omnia, quae homini accidere possunt, sic fero, ut magnam habeam philosophiae gratiam: quae me non modo a sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunae impetus armat. tibiq. idem censeo faciundum, nec, a quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Sed haec tu melius. Stratorium nostrum cum semper probassem; tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamq. cognoui. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

A R G. Hortatur Cornificium, ut omni cura in reip. incumbat: scribit de legatis ad Antonium a senatu missis: Pinarium commendat.

Cicero s. D. Cornificio. 24

Ego nullum locum praetermitto (nec enim debeo)

ex Macedonia profectis.

armis opprimere libertate cogitabat: sed eundem duas legiones, Martia, & quarta, sequi noluerunt, seq. Octauiano tradiderunt. uide Philipp. 3. Velleis lib. 2.

Stratorius a Festo nominatur uerbo Lacus.

debeo) non modo laudandi tui, sed ne ornandi quidem. sed mea studia erga te, & officia malo tibi ex tuorum litteris, quam ex meis, esse nota. Te tamen hortor, ut omni cura in reip. incumbas. hoc est animi, hoc est ingenij tui, hoc eius spei, quam habere debes amplificandae dignitatis tuae. Sed hac de re alias ad te pluribus. cum enim haec scribebam, in exspectatione erant omnia. nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset. ego tamen, ut primum occasio data est, meo pristino more reip. defendi: me principem, senatui, populoq. R. professus sum: nec, postea quam suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendae salutis, libertatisq. communis. Sed haec quoque te ex alijs malo. T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio tibi comendo, ut maiore non possim: cui cum propter omnes uirtutes, tum etiam propter studia communia sum amicissimus. is procurat rationes, negotiaq. Dionysii nostri; quem & tu multum amas, & ego omnium plurimum. ea tibi ego non debeo commendare, sed commendo tamen. facies igitur, ut ex Pinarij, gratissimi hominis, litteris tuum et erga illum, & erga Dionysium studium perspiciamus. Vale.

A R G. Scribit, ex litteris Cornificii S. C. esse factum. hortatur, ut reip. causam amplectatur. Luceio, sejnulla re defururum pollicetur.

HH Cicero

Philippus, &
Piso. ep. 4. l. 12.

ut Mutinae ob
sersionem relin-
queret.

antiquissima fa-
milia, ante ur-
bem conditam.
Liuius lib. 1.

LIBERALIBVS litteras acceptuas, quas mihi Cornificius altero uicesimo die, ut dicebat, reddidit. eo die non fuit senatus, neque postero. Quinquatribus, frequenti senatu, causam tuam egi, non inuita Minerva. etenim eo ipso die senatus decreuit, ut Minerva nostra, custos urbis, quam turbo dēiecerat, restitueretur. Pansa tuas litteras recitauit. magna senatus approbatio consecuta est, cum summo gaudio, & offensione Minotauri, id est Clauisij, & Tauri. factum de te s. c. honorificum. postulabatur, ut etiam illi notarentur: sed Pansa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem libertatis ingressus sum, et, cunctantibus ceteris, ad XIII. Kal. Ian. fundamenta reip. ieci; eo ipso die prouidi multum, atque habui rationem dignitatis tuae. mihi enim est assensus senatus de obtinendis prouincijs. nec uero postea destiti labefactare eum, qui summa cum tua iniuria, contumeliaq. reip. prouinciam absens obtinebat. itaque crebras, uel potius quotidianas compellationes meas non tulit. seq. in urbem recepit inuitus: neque solum spe, sed certa re iam, & possessione deturbatus est. meo iustissimo, honestissimoq. conuicio te tuam dignitatem summa tua uirtute tenuisse, prouinciaeque honoribus amplissimis affectum, uehementer gaudeo. Quod te mihi de Sempronio purgas accipio excusationem. fuit enim

quod Tullii mortem portendit. Dio, & Obsequens.

sic i libro Signi. alter eius dē, & unus Sigicellii, & meus habent, clauis. de Caluio Phil. 3.

supra, ep. 22.

cum ad urbem esset cum imperio. reuertit autem in urbem, deposito imperio.

enim illud quoddam Graecum tempus seruitutis. Ego tuorum consiliorum auctor, dignitatisq. fautor, iratus temporibus, in Graeciam, desperata libertate, rapiebar; cum me Etesiae, quasi boni ciues relinquentem remp. prosequi noluerunt: Austerq. aduersus maximo flatu me ad tribules tuos Rhégium retulit: atque inde uentis, remisq. in patriam omni festinatione prope rau; postridieq. in summa reliquorum seruitute liber unus fui: sic sum in Antonium inuectus, ut ille non ferret, omnemq. suum uinolentum furor in me unum effunderet, meq. cum elicere uellet ad caedis caussam, tum tentaret insidijs: quem ego ructantem, & nauseantem confeci in Caesaris Octauiani plagas. puer enim egregius praesidium sibi primum, & nobis, deinde summae reip. comparauit: qui nisi fuisset, Antonij reditus a Brundisio pestis patriae fuisset. quae deinceps acta sint, scire te arbitror. sed redeamus ad illud, unde diuertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio. neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. nunc hic dies aliam uitam affert, alios mores postulat, ut ait Terentius. quamobrem, mi Quincte, con-

uide ep. 1. l. 10.
& Philipp 1. &
lib. 3. de off.

uide Rhegienses
suffragium in
tribu Romae
tulisse. munici-
pes enim erant,
legis Iuliae be-
neficio ciuita-
tem adepti.

Substantiuum
ut alibi.

ep. 4. l. 4.

in Andria.

HH 2 uirtus

nēcesse est, in-
itiū esse episto-
lae. haec. n. scri-
pta sunt mor-
tuo Pansa, supe-
riora uiuo.
Phil. v i i.

uirtus potest? Tu fac ut animo magno sis, & ex-
celso, cogitesq. omnem dignitatem tuam cum rep.
coniunctam esse debere. P. Luccēium mihi
meum commendas; quem, quibuscumque rebus
potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem, &
Pansam, collegas nostros, homines in consulatu
reip. salutare, alieno sane tempore amisimus,
rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed
nondum omnino explicata: quam nos, si licebit,
more nostro tuebimur: quamquam admodum su-
mus iam defatigati: sed **N V L L A** lassitudo impe-
dire officium, & fidem debet. Verum haec haeste-
nus. ab alijs te de me, quam a me ipso, malo co-
gnoscere. De te audiebamus ea, quae maxime uel-
lemus. De Cn. Minucio, quem tu quibusdam lit-
teris ad caelum laudibus extulisti, rumores du-
riores erant. id quale sit, omninoq. quid istic aga-
tur, facias me uelim certiolemq. Vale.

ARG. Heredes Turii commendat.

Cicero s. D. Cornificio. 26

Curius, habet
Sigonii liber.
refertur ad ho-
nestatem fami-
liae, non ad ip-
sius mores.

Q. T V R I V S, qui in Africa negotiatus
est, uir bonus, & honestus, heredes fecit simi-
les sui Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, C. An-
neium, Q. Considium Gallum, L. Seruilium Po-
stumum, C. Rubellinum. ex eorum oratione in-
tellexi, gratiarum actione eos magis egere, quam
commendatione. tanta enim libertate se tua
usos praedicabant, ut ijs plus a te tributum in-
telligerem, quam ego auderem te rogare. au-
debo

debo tamen. scio enim, quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare a te peto, ut ad eam liberalitatem, qua sine meis litteris usus es, quammaximus his litteris cumulus accedat. Caput autem est meae commendationis, ne patiare Erótem Turium, Q. Turij libertum, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam auertere; ceterisq. omnibus rebus habeas eos a me commendatissimos. magnam ex eorum splendóre, & obseruantia capies uoluptatem. quod ut uelis, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

ARG. Aufidij equitis R. Africana negotia commendat.

Cicero s. D. Cornificio. 27

SEX. Aufidius & obseruantia, qua me colit, accedit ad proximos; & splendore equitis Romani nemini cedit. est autem ita temperatis, moderatisq. moribus, ut summa seueritas cum humanitate iungatur. cuius tibi negotia, quae sunt in Africa, ita commendo, ut maiore studio, magis ue ex animo commendare non possim. pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat meas apud te litteras maximum pondus habuisse. hoc te uehementer, mi Cornifici, rogo. Vale.

ARG. Cornificij factum non probat, quia non animaduertit in quosdam Lilybeo minantes. studium in rep. laudat. de omittenda gratiarum actione assentitur, addit de pecunia, & de rep.

Cicero s. D. Cornificio. 28

ASSENTIOR tibi, eos, quos scribis Lilybaeo

HH 3 lybaeo

liberti nomē retinebant, quod in seruitute habuerant,

qui magistratus gesserunt, aut claris partibus nati sunt, a nobilitate laudantur: ceteris, ut equitibus Romanis, splendor, non nobilitas, tribuitur: quo significatur species illa, quam rei familiaris copia, & quaedam in omni re liberalis animi significatio gignit. uide splendorem equitibus R. tributū, ep. 3. l. 1. & hic epistola sequenti.

Cornificii cle-
mentiam in ma-
ios ciues non
laudat.

profectis Muti-
nam ad Brutū
liberandum.

quoniam tibi
S. C. imperium
est datum, po-
tes mutam su-
mere pecuniā.

uide orationē
pro Sextio.

lybeo minari, istic poenas dare debuisse: sed me-
tuisisti, ut ais, ne nimis liber in ulciscendo uiderere.
metuisisti igitur, ne grauis ciuis, ne nimis for-
tis, ne nimis te dignus uiderere. Quod societatem
reip. conseruandae, tibi mecum a patre acceptam,
renouas; gratum est: quae societas inter nos sem-
per, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud
quod mihi tuo nomine gratias agendas non putas,
nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sae-
pius pro dignitate tua appellaretur, si, absenti-
bus consulibus, umquam, nisi ad rem nouam, co-
geretur. itaque nec de HS XX, nec de HS DCC
quidquam agi nunc per senatum potest. tibi autem
ex s. c. imperandum, mutuumq. sumendum cen-
seo. In rep. quid agatur, credo te ex eorum litte-
ris cognoscere, qui ad te acta debent perscribere.
ego sum spe bona: cōsilio, cura, labore non desum:
omnibus inimicis reip. esse me accerrimum bo-
stem praemesero, res neque nunc difficili loco mihi
uidetur esse, & fuisset facillimo, si culpa a qui-
busdam abfuisset, Vale.

ARG. Commendat studiose I. Aelij Lamiae negotia,
eumq. suspectum Cornificio, quasi affuisset cuidam S. C. con-
tra dignitatem eius, excusat.

Cicero s. d. Cornificio.

29

NON modo tibi, cui omnia nostra notissima
sunt, sed neminem in populo R. arbitror esse,
cui sit ignota ea familiaritas, quae mihi cū L. La-
mia est. etenim magno theatro spectata est tum,
cum

cum est ab A. Gabinio cos. relegatus, quod libere, & fortiter salutem meam defendisset. nec ex eo amor inter nos natus est: sed quod erat uetus, & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit. ad haec officia, uel merita potius, iucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te iam expectare, quibus eum tibi uerbis commendem. causam enim tanti amoris intelligis. quae uerba desideret, ijs me omnibus usum putato. tantum uelim existimes, si negotia Lamiae, procuratores, libertos, familiam, quibuscumque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamiae causa studiose omnia facturus sis, quamquam erat nobis dictum, te existimare, alicui s. c. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse: qui omnino consulibus illis numquam affuit scribendo. deinde omnia tum falsa s. c. deferebantur. nisi forte etiam illi Semproniano s. c. me censes affuisse; qui ne Romae quidem tum fui, ut de eo ad te scripsi re recenti. Sed haec haec tenus. Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiae negotia, mea putes esse; curesque, ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut ualeas.

HH 4 ARG.

quo tempore ordinis equestris princeps erat. nunc senator erat. ep. 16. lib. XI. ep. 17. l. XI.

feruos. uide ep. 3. lib. 1.

ergo senator erat.

supra, ep. 25. b. s.

ARG. Officium litterarum requirenti Cornificio se purgat. scribit de bello Antoniano renouato, de suo studio in amicitia colenda, aliisq. de rebus.

Cicero s. d. Cornificio.

30

ep. 7. lib. 3.

ep. 2. lib. 8.

ut de ex verbo,
Noli, affirmationem elici.
sic locutus &
Horat. & ipse
Cicero in Oratore,
& pro Coemoedo.

sic Tusc. 5. dixit: Quæstio profligata, & paene ad exitum adducta.

ITA ne? praeter litigatores, nemo ad te meas litteras? multae istae quidem. tu enim perfecisti, ut nemo sine litteris meis tibi se commendatum putaret. sed quis umquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi incundius, quam, cum coram tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere litteras? illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo a bitratu facultas nulla detur. non enim te epistolis, sed uolūminibus lacefferem; quibus quidem me a te prouocari oportet. quamuis enim occupatus sis, otij tamen plus habes: aut, si ne tu quidem uācas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, & a me litteras crebriores, cum tu mihi raras mittas, flagitare. nam cum antea distinebar maximis occupationibus; propterea quod omnibus curis remp. mihi tuendam putabam: tū hoc tempore multo distineor uehementius. ut enim grauius aegrotant ij, qui, cum leuati morbo uiderentur, in eum de integro inciderunt: sic uehementius nos laboramus, qui profligato bello, ac paene sublato, renouatum bellum gerere conamur. Sed haec haec tenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me
tam

tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te uinci possim aut officijs, aut amore. non dubitabam equidem: uerumtamen multo mihi notio-rem amorem tuum effecit Cherippus. o hominem semper illum quidem mihi aptum, nunc uero etiam suauem. uultus mehercule tuos mihi expressit omnes; non solum animum, ac uerba pertulit. itaque noli uereri, ne tibi succensuerim, quod eodem exemplo ad me, quo ad ceteros. requisui equidem proprias ad me unum a te litteras, sed neque uehementer, & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere, & fecisse dicis, nihil sane possum tibi opitulari: propterea quod & orbus senatus, consulibus amissis; & incredibiles angustiae pecuniae publicae: quae conquiritur undique, ut optime meritis militibus promissa soluantur: quod quidem fieri sine tributo posse non arbitror. De Attio Dionysio nihil puto esse, quoniam mihi nihil dixit Stratonius. De P. Luceio, nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis, quam ego sum. est enim nobis necessarius. sed, a magistris cum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi, sese, quo minus id facerent, & compromisso, & iureiurando impediri. quare ueniendum arbitror Luceio. quamquam, si meis litteris obtemperauit, cum tu haec leges, illum Romae esse oportebit. Ceteris de rebus, maximeq. de pecunia cum Pansae mortem ignorares, scripsisti quae per nos
ab

facere impensam, ep 2. l. 14.

Pansa & Hirtio. supra, ep. 23.

quod impositum non erat post deuictam a Paulo Macedoniam. uide Cic. lib. 2. de off. & Plin. l. 33. cap. 3. & Plutarchum in Paulo.

ab eo consequi te posse arbitrare. quae te non fe-
 fellissent, si uiueret. nam te diligebat. post mor-
 tem autem eius quid fieri posset, non uidebamus.
 De Venuleio, Latino, Horatio, ualde laudo. il-
 lud non nimium probo, quod scribis, quo illi ani-
 mo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis liētores
 ademisse. hōnōre enim cum ignomia dignis non
 erant comparandi: eosq. ex s. c. si non decedunt,
 cogendos, ut decedant, existimo. Haec fere ad
 eas litteras, quas eodem exemplo binas accepi.
 De reliquo, uelim tibi persuadeas, non esse mihi
 meam dignitatem tua cariorem. Vale.

CICERONIS EPISTOLARVM

AD TERENCEM VXOREM,

LIBER XIV.

ARGVMENTVM.

Exsul deest suam suorumq. calamitatem, eiusq. culpam confert in amicorum consilia: uici uenditionem prorsus improbat: alia quaedam scribit.

Cicero s. D. Terentiae, & Tulliolae,
& Ciceroni, suis.

scripta est Pisoni & Gabinio cum exsularet.

TLITTERIS multorum, et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam uirtutem, & fortitudinem esse, teq. nec animi, nec corporis laboribus defatigari. me miserum, te, ista uirtute, fide, probitate, humanitate, in tantas aerumnas propter me incidisse? Tulliolamq. nostram, ex quo patre tantas uoluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores, miseriasq. percepit, quae si, ut tu scribis, fato facta putarem; ferrem paullo facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab ijs me amari putabam, qui inuidebant; eos non sequebar, qui petebant. quod si nostris consilijs nisi essemus; neque apud nos tantum ualuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum: beatissimi uiueremus. nunc, quando sperare nos amici iubent; dabo operam, ne mea ualetudo tuo

ut pugnare potius, quam in exilium irem.

XX 2 labori